CASTI INNOCENTIS ANSALDI ORDINIS PRAEDICATORUM DE SACRO ET PUBLICO APUD ETHNICOS…

Casto Innocente Ansaldi



CASTI INNOCENTIS ANSALDI

ORDINIS PRÆDICATORUM

DE SACRO ET PUBLICO

APUD ETHNICOS

PICTARUM TABULARUM

CULTU.





AUGUSTÆ TAURINORUM

IN REGIO TYPOGRAPHEO.
MDCCLXVIII.

REGIÆ CELSITUDINI
VICTORII AMEDEI
SABAUDIÆ DUCIS

CASTUS INNOCENS ANSALDI
ORDINIS PRÆDICATORUM.



Ostquam AUGUSTISSIMUS REX munus mihi contulit sa-

cra

cra interpretandi Dogmata Regio in Athenæo, in quo eximii tot docuerunt ac docent Viri, quorum e disciplina qui in celebrioribus florent Europæ Academiis prodierunt, nil honorificum optatumque magis evenire mihi poterat, quam Lucubrationem hanc gloriosissimo consecrare Nomini REGIÆ TUÆ CELSITUDINIS, cujus ne Fama quidem & Amor digne satis loqui splendorem possint, ingenium, consilium, animi fortitudinem, absolutam sublimiorum Scientiarum cognitionem, validam ceterarum etiam tutelam, cunctarumque decus inter fausta Imperiorum auspicia numerantem, strenuum denique in res omnes præclaras, militarem præcipue in Virtutem, & in bellicam laudem & gloriam, ardorem: sed institutione, auctoritate, & exemplo RE-

GIS

GIS SAPIENTISSIMI ita temperatum, ut, quemadmodum Principibus placet humanæ Societatis felicitati natis, Regni dignitas ac majestas nunquam a summa justitia æquitateque disjungantur. Equidem me mearumque tenuitatem expendens rerum, esset quod gaudium frangeret ac turbaret ab hoc honore derivatum: sed quum hæc meriti inopia CELSITUDINIS TUÆ REGIÆ beneficium magis augeat, recreor propterea & confirmor, quantum Magnanimitati Tuæ debeam intelligens: quare DEUM O. M. omnibus orem precibus, ut sicut INVICTISSIMUS REX, Religione, Legibus, Victoriis, ac partis Concordiis Regum clarus, famæ jam suæ superest; ita REGIA CELSITUDO TUA, tam fulgidum in quod intueatur habens speculum, non avi-

tam

tam modo gloriam, sed, quod summum maximumque erit, Patriam Nominis immortalitatem consequatur.



INDEX



INDEX CAPITUM.

iisdemque in Idololatria adoratis. 168. X. De Imaginibus Imperatorum pictis, & insculptis, deque eorum Vexillis & Lauratis in Idololatria cultis. 190. XI. Cur præ maxima Statuarum Deorum copia, Imaginum pictarum, quarum Veteres meminerunt, numerus, exiguus adeo fuisse videatur. 216. XII. Idem argumentum illustratur magis, & cur pictæ Numinum Imagines, olim a Gentilibus cultæ, hodie non supersint. 241. XIII. Nec Vitruvianas de structura Templorum Leges, nec Idolorum Consecrationem, Tabularum pictarum cultui obfuisse. 262. XIV. Cur Græci recentiores adeo sint a sacris Statuis alieni 282. XV. An Latini sine labe sacrarum cultum Statuarum denique admiserint. 297.



CAPUT



CAPUT PRIMUM.

Occasio operis: immane hominum Græci ritus odium in sacras Statuas a Latinis cultas.



IRARI subit, hodiernos Græcos, aliosque nonnullos Orientis Christianos, qui Sanctorum in cultu Romana cum Ecclesia conveniunt, pictasque Christi, Deiparæ, & Sanctorum imagines majore quam nos cultu prosequuntur, adeo ut eorum respectu profani videantur Latinorum religiosiores: ita Sculptarum tamen imaginum cultum aversari, ut eas tanquam IDOLA, Latinosque, ob earum venerationem, velut IDOLOLATRAS apertissime traducant. res, inquam, mira, vixque fide digna, nisi eam quotquot Orientalibus in regionibus versati sunt itineratores, hospitesque testarentur, ac probatissimi Scriptores confirmarent, Jobus præsertim Ludolphus, Libro III. Commentarii in Historiam Æthiopicam, Hieronymus Lobo, in Descriptione morum, ac religionis Abyssinorum, ac Æthiopum; Jacobus Poncetus, in Historia itinerum, quæ in illas regiones instituit, & in quibus diuturnam traxit moram, David Chytræus,

A traeus,

a

tracus in Oratione de statu Ecclesiarum in Græcia, Asia, Africa, &c.; Ricautus in Historia Ecclesiarum Græcæ, & Armenæ, Alexander Guagninus de Russorum, Ruthenorumque omnium agens Sacris; quo cum Annotata consonant ad præloquium Enchiridii de statu hodierno Græcorum, a Christophoro Angelo Græco conscripti, curaque Georgii Fehlavii editi, Helladius de hodierno statu Ecclesiæ Græcæ; Lequienus noster in adnotationibus ad librum IV. cap. 16. Johannis Damasceni de Fide Orthodoxa; Goarius noster in adnotationibus ad Euchologium Græcorum, Stevartius in adnotationibus ad nostrum Calecam, Fleurius tomo XVII suæ Ecclesiasticæ Historiæ de Nestorianis agens & Armenis, Mabillonius præfatione in sæculum IV. Ordinis Sancti Benedicti §. III, Johannes Lamius in Scholiis ad interrogationes duodecim Cardinalis a Lotharingia; Petrus Zornius in Historia Bibliorum Pictorum ex antiquitatibus Hebræorum, & Christianorum illustrata; Johannes Fridericus Le Bret in Actis Ecclesiæ Græcæ annorum MDCCLXII. & LXIII.; aliique innumeri, qui de sacris Imaginibus historice scripsere.

Hoc Græcorum odium in Statuas a Latinis cultas urgendum vehementissime duxerunt Polemici Heterodoxi, Svicerus præsertim, Spanhemius, Hottingerus, Vejelius, Beausobrius, Kieslingius, omnes denique sacrarum cultus imaginum osores: quorum ab objecto se se Theologi nostri facile expedierunt, respondentes, non fidei caput esse, sed tantum disciplinæ, pictas ne, an sculptas imagines Sanctorum venerere. Atque intelligi profecto non potest, quanam ratione

Pro-

Protestantes, qui cultores sacrarum imaginum idololatriæ condemnant crimine, præsidium a Græcis petant, a quibus, non minus quam a Latinis, pictas Sanctorum eorumdem imagines coli exploratum est. Tres tamen inveni Orthodoxos in hac concertatione ulterius progressos, Richardum videlicet Simonium, Leonem Allatium, & Josephum Simonium Assemanum. Prior in notis uberioribus ad Apologiam Gabrielis Severi, Metropolitæ Philadelphiensis, num. 9. scribit: *Imaginem γραπτὴν de industria, sive pictam, apposuit Gabriel, quia Græci a Sculptilibus plane aversi sunt · media tamen, planaque Sculptura, quod hæc ad picturam accedat, utuntur.* Post hæc tamen iam aperte ac sincere tradita, nimio Claudium confutandi studio, addit: *Ecclesia Orientalis non ἁπλῶς, sive simpliciter, vel aliqua superstitione adducta, Statuas rejicit, sed quia Græcorum, seu Gentilum erant: uti recte Græcorum omnium, qui sculptas imagines respuunt, testimonio comprobari potest. Johannes Damascenus, a quo reliqui Græci toti dependent, Sculptilia Græcorum, idest Gentilium, damnat. quare sublato præpostero Statuarum abusu purus & legitimus earumdem usus succedet.* Paucis lineis opposita satagit ut coeant hic Auctor. Quomodo enim Philadelphiensis pictas tantum Sanctorum imagines admittit, quia Græci generatim sunt a Statuis aversi, si iidem solas Gentilium Statuas oderunt? Cur si solas Gentilium Statuas damnarunt, media tantum, planaque Sculptura ad Picturam accedente, in cultu sacrarum Imaginum utuntur? Nonne intelligere Simonium oportebat, ideo Græcos universim, ac proinde etiam Sancto-

rum Statuas damnare, quia Simulacrorum cultus proprius fuisse Gentium ab ipsis creditur? Neque heic vero appellatur jure Damascenus, acerrimus quamvis sacratum Imaginum vindex, ejus quippe ætate, apud Latinos etiam, rarus adeo erat sacratum cultus Statuarum, ut in eum sive vindicandum, sive oppugnandum, animum intendere non potuerit Sanctus Pater: quare eo modo quo falluntur plurimi Scriptores, qui eum de sculptis Christianorum Imaginibus haud aliter, quam de Simulacris ethnicis verba fecisse, contenderunt; ita & fallitur Simonius, dum vindicias Statuarum quærit apud Damascenum, cujus etiam e judicio hodiernorum fides Græcorum æstimanda non est: quamvis enim se totos a Damasceno pendere glorientur, quot adhuc, quantaque sunt, in quibus cum eo haud prorsus conveniunt? Non profecto Damascenum, sed recentiorem aliquem Græcum *non latinizatum* Scriptorem adducere Simonius debuisset, qui cultum Statuarum vindicasset, aut Synodum aliquam apud Græcos, quæ talem cultum saltem permisisset, aut Statuam demum aliquam a Græcis cultam, ut aliquo adstimare jure potuisset, sublato abusu legitimum Statuarum sacrarum cultum admissum iri ab iisdem.

Posttemum hoc efficere se posse credidere Leo Allatius, adversus Hottingerum scribens Capite XIII. & Libro III. de Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis perpetua consensione Capite XV., necnon laudatus Assemanus in Opere, cui titulum fecit: *Kalendaria Ecclesiæ universæ, in quibus, tum ex vetustis marmoribus, tum ex Codicibus, Tabulis parietinis, pi-*

ctis,

ctis, sculptis, scalptisque, Sanctorum nomina & imagines, & festi per annum dies Ecclesiarum Orientis, & Occidentis, præmissis uniuscujusque Ecclesiæ originibus recensentur, describuntur, notisque illustrantur, Tomo I. capite V. parte I. Efficere, inquam, se posse crediderunt, & ostendere, Græcos generatim a sacris Statuis alienos non esse, propterea quod eisdem ipsi etiam utantur. Inquiunt igitur, per manus omnium, easque, uti singularia, in veneratione haberi innumeras apud Principes viros tabellas, & cruces ex ligno, aliaque pretiosa materia, in quibus mirabili artificio, *& operosa subtilitate, quam non ita facile oculis distinxeris*, divina nostræ Redemptionis mysteria, Martyrum fortissimæ dimicationes, supra nominibus eadem arte expressis apte, sciteque insculptas per universam Græciam, & Italiam cerni, & inter cimelia rariora conservari: in Græcia e collo appensas deferri cælo efformatas Sanctorum effigies: qui renuntiato seculo, se se Deo devovere in monte sancto (antiquis Athos est) similibus elaborandis crucibus operam dare: Sculptarum imaginum duo esse genera: alterum, quod per se stat, omni ex parte excavatum, & suo corpore ab aliis rebus sejuncto commendabile; quales sunt antiquorum Statuæ ex marmore, metallo, vel alia materia confectæ, alterum, quod in lapide ipso, vel solido corpore inciditur; non tamen ab ea divisum, sed parte ea, qua videri voluit Artifex protuberans plus, minusve, ut eidem Artifici placuit: utrumque hoc genus Græcos venerari, qui cruces habeant fere omnes, non pictas, sed lignis in eum modum efformatis,

quas

quas & adorandas exponunt; neque his contentos, nonnullis in locis Christum ipsum appensum, a cruce separatum, ut in Italia fieri solet, summa animi demissione, cum ipsa cruce colere, ac in officio Parasceves, dum Christum ipsum veluti ad sepulturam comitantur, Christi Corpus undequaque efformatum, sculptumque circumducere per urbes, & adorare. *Verum tamen est*, subdit Allatius, *rara hæc esse, nec ita frequentia, quod in altero Sculpturæ genere aliter se habet; nam ubique tabellæ, modo ex metallo, sæpissime etiam ex ligno, exsculptis Sanctorum imaginibus, nullo non in loco adorationi objiciuntur. Vidi ipsemet in parvula tabella omnia vitæ mysteria adeo subtiliter effigiata, cum literis non minus delicate excisis, quibus mysteria indicantur, ut non tantum mihi, sed aliis etiam spectatoribus dubium fuerit, quodnam admirabilius esset, an ligni natura, quæ minutissimas illas incisas lineolas ferre posset, an manuum industria, quæ adeo leviter in incidendo moveretur, an acies oculorum incisoris, qui, sine confusione adeo minuta commensuraret, an tandem instrumentorum acies, & vigor, qui sine aliorum jactura tam altos succos, spissosque impresserit, & strigium cava, & striarum angulos circumduxerit. Cruces etiam, quas vel domi tenent, vel appensas collo gestant, eodem incidendi artificio factæ sunt.* Hæc fere habet Assemanus, qui citato loco addit, Christum Dominum in boni Pastoris, ovem perditam in humero reportantis, effigie antiquos fideles pinxisse, idest, sculpsisse in sacris calicibus: hujusmodi picturarum genus non modo in argento, marmore, & ære, sed etiam in vitri frag-

fragmentis frequentissimum illustrari a Bonarotio in Opere de fragmentis antiquorum vasorum vitreorum repertis in Cœmeteriis urbis, & a Severano, & Aringhio in Roma subterranea: celeberrimam esse illam æneam Statuam, divinis postmodum illustratam miraculis, quam Christo Domino Cæsareæ Philippi posuit Syrophænissa, nec minus celebrem alteram Statuam a Constantino positam, de qua Georgius Codinus de Originibus Constantinopolitanis pag. 40. edit. Parisiensis. In Monasteriis Athonicis præter imagines depictas, alias etiam sculptas, & musivo, sive plumario opere elaboratas recensere Johannem Comnenum de Monasterio Iberorum apud Montfauconum in Palæographia Græca, nempe columnas, pulpita, postica, sedes, fenestras variis sacris imaginibus anaglyptico opere expressas.

Verum enim vero intelligit statim quisque quantum hæc sint ab argumento proposito aliena. Agitur scilicet, an Græci Statuas colant? Adfirmant arcadiano prope spiritu Allatius, & Assemanus, sed quibusnam exemplis? Audistin? Imagines scilicet pictas in medium proponunt, imagines apud Græcos in calicibus, & vasis, & columnis sculptas, anaglypha, phylacteria, lanceas, coronas, musiva, mensas, Statuas etiam mediis in foris erectas. Num hæ Statuæ sunt, de quibus disputatur? Innumeras certe, non sacras modo, verum etiam profanas, immo etiam ethnicas, præcipuis in urbibus, & Constantinopoli præsertim, habuerunt posteriores Græci Statuas, quas adeo deperditant, ut nullus rerum antiquarum Interpres magis: quemadmodum ex lacrymis,

mis, & clamoribus Nicetæ patet in Annalibus, ubi de Isaacio Angelo, & Alexio filio agit, ac eversionem narrat Statuæ Minervæ in foro Constantini columnæ insistentis, ἐν τῷ Κωνσταντίνου φόρῳ τῆς Ἀθηνᾶς ἀγάλμα, militari tanquam seditione olim factam, multoque magis ex acerbissima ejusdem Nicetæ Philippica in Latinos, qui Statuas Constantinopolitana in urbe ubique erectas everterunt, & liquari curarunt, ea, inquam, ex Verrina, quam Bandurius edidit III. Parte Imperii sui Orientalis, ut innumeras similes querelas, & insectationes omittamus. Verum ejusmodi non erant fusa illa, & per se stantia, Christi, Deiparæ, Sanctorumque Signa, & Simulacra, quæ in sacris admittenda non esse, recentiores Græci consensu unanimi affirmant. Profecto nedum apud Constantinum Manassem, Georgium Codinum, Johannem Damascenum, aliosque posteriores; sed apud Gregorium ipsum Nazianzenum, Statuas apud Græcos in plateis, ac foris, & circum templa plurimas reperies; sed numquam cultui propositas, numquam cultu publico donatas.

Sculptilia in lapide, vel ligno, aut quocunque alio corpore incisa, non ab eo divisa tamen, sed ea tantum parte, qua videri voluit Artifex, plus minusve, ut ipsi placuit, protuberantia, minime faciunt ad rem. Agitur enim de Sculptilibus per se stantibus, omnique ex parte excavatis, & suo corpore ab aliis rebus sejunctis commendabilibus, agitur de STATUIS, ATQUE SIMULACRIS Deiparæ, ac Sanctorum publico cultu donatis, quæ profecto apud Græcos nec Allatius, nec Assemanus adducere

ducere umquam potuere. Num enim icunculæ, quæ, ipsorum testimonio, acies ipsas oculorum inspectoris, & artificis fugiunt, quæque sunt minutissimis lineolis incisæ, Sanctorum Statuæ cultui publico expositæ dicentur? Num cruces collo fidelium appensæ, rursus erunt Simulacra? Nil profecto minus: quemadmodum bullæ, & amuleta collo Gentilium appensa, a nemine habita fuere consecrata Deorum Simulacra. Id immo, quod de crucibus adjiciunt, Sculptilis genus est veris cum Statuis nulla ratione conferendum; tum quia notum satis & compertum est, fuisse aliquos Iconoclastas, non sculptas modo, verum etiam pictas imagines omnino aversatos, qui crucem tamen colebant; tum etiam quia cruces non habent similitudinem viventis, quæ, ut videbimus, ratio præcipua est, cur a Statuis Græci abhorruerunt, & abhorreant; quare in aliquot solum Italiæ locis, quæ Græci ritus homines *latinizati* incolunt, mos denique obtinuit, sculptum Christi mortui corpus, ut ipsi circumducerent, & adorarent.

Quid vero facilius cuicumque, quam considerare, minimas illas Statunculas, quæ Athoniticis in crucibus visuntur, ornamenti tantum caussa, eisdem incisas in crucibus fuisse? Porro non ea modo, quæ ad mysteria nostræ Religionis, vel ad acta Martyrum pertinent, insculpta in crucibus reperiuntur; sed adiaphora etiam alia, immo & profana, aliquando ethnica nonnulla, quemadmodum exempla prostant apud Mabillonium parte I. Itineris Italici p. 217., ubi ea, quæ in Cimelio Monasterii Bobbiensis reperiuntur enarrans, & crucem ejusdem Cimelii de-

 scri-

scribens, inquit: *In postica parte crucis novæ ex argento quidam pretiosi lapilli affixi sunt, nempe in summo acathes, cui* ISIS, *&* SERAPIS *insculpti, cum literis Ægyptiacis in circuitu. In dextero crucis ramo Sacerdos* ISIDIS *cum sistro in læva, dextera in morem benedicentis composita, capitis corona in modum crucis desinente: in sinistro item acathes absque cælatura. In ima crucis parte alius acathes cum Imperatoris effigie.* Fortunius Licetus in antiquis Schematibus Gemmarum Annularium capite CIV. p. 371. crucem adfert cum gemma, in qua figuræ Veneris, Joci, & Cupidinis insculptæ, quam & Petrus Apianus in sua memorat Inscriptionum Sylloge p. 451. ne similia addam ex Marangonio de Gentilium rebus ad usum Ecclesiarum nostrarum translatis Capite XXI. Num vero arbitrabimur, eos, qui cruces has cultui proposuere, voluisse æque, ut in ipsis insculptæ Isidis, Serapidis, Veneris, Cupidinis, & Cæsarum imagines adorarentur? Minime profecto. Quamvis igitur non ignoremus, cruces in plurimis Cimeliis servari, quemadmodum & pulcherrima in Regio hujus Athenæi visitur Museo, cruces, inquam, reperiri, in quibus Christi vita, & mors opera Monachorum Montis Athi per icunculas repræsentatur, verum etiam cruces hasce cultui aliquando expositas fuisse, ast quum ejusmodi statunculæ, ornamenti tantum caussa in illis crucibus, sicut in tabularum coronis, fuerint insertæ, non est, cur eas inter Sanctorum Simulacra a Græcis culta numeremus.

Porro, quum Allatius ipse fateatur, aliquos esse Græcos, qui TANQUAM AB IDOLIS, a sacris

Statuis

Statuis abhorrent; idque ALIQUORUM apud Graecos errorem appellet Assemanus, ne innocentes cum reis perperam confunderem, consulendum duxi Verum sodalitii nostri eximium Thomam Mamachium, etsi hominem Latini ritus, Latinique ritus Patribus, avis, atavisque ortum, Chium tamen, qui me de hac re omni reddere certiorem posset. quumque id ex eo per literas quaesivissem, ille, quo est in me studio singulari, in hanc mihi sententiam respondit: *Quod pertinet ad cultum Statuarum apud Graecos, quidquid Allatius, & Assemanus contra dicant, certo scias hodiernos Graecos (nisi triginta, vel quadraginta vix, tot inter myriadas, & illos quidem latinizantes excipias) in ea versari opinione COLI, UT NON DEBEANT, nosque eas religioso prosequutos cultu, IDOLOLATRAS ab ipsis apertissime appellatos. Equidem a patria puer annorum quatuordecim discessi, verum, quia aetate quoque illa eram ad hac pervestiganda propensissimus, cum ab eorum Sacerdotibus, tum etiam a Monachis, a mulieribus, a pueris, & ab omnis conditionis viris semper audivi IDOLOLATRIAE postulandos esse Latinos ob cultum Statuarum. Est illis hoc adagium receptum, atque familiare: NULLAM IMAGINEM COLENDAM ESSE, CUJUS NASUM DUOBUS POSSIS DIGITIS COMPLECTI. Quo significare volunt, Statuas & anaglypha praesertim exuberantia venerari minime fas esse. Itaque si differere aves adversus majorem Graecorum partem, per me licet: ipse tamen fatius censeo adversus Graecos omnes & absolute disputandum.* Haec ad me Mamachius de Graecis photianarum partium studiosis

scripsit, cum iis convenientia, quæ Pompejus Sarnellius, Episcopus Biselliæ, Tomo scripsit VII. Epistolarum Ecclesiasticarum, epistola I. nempe: *Constans est Ecclesiæ Græcæ ritus in imaginibus pingendis usque modo ad cingulum, ne ansam habeat humana mens aliquid minus decorum cogitandi. Quin & Statuis non utuntur Græci, sed solum anaglyphis, QUÆ TAMEN MANIBUS CONTRECTARI NON POSSINT*. Johannes Lamius Vir Cl. Dissertationem hoc anno MDCCLXVII. in Ephemeridibus Florentinis edidit, qua satagit ut evincat, ad decimum usque sæculum Latinos ipsos a Statuis colendis abstinuisse; neque cultui proposuisse, nisi imagines coloribus, vel anaglyptico opere expressas.

Quid Exterorum tamen testimonia quærimus, dum Græcorum tam aperta, & clara præsto sunt? Græcus auctor adductus a Crusio in sua Turco-Græcia Libro VII., & a Gretsero Libro I. variarum rerum Capite 9. de Imaginibus, nec non a Raynaudo in Heteroclitis Spiritualibus parte II. sectione 3. *Scire se*, ajebat, *ex sacris Literis, vetari Sculptilia; & ideo Græcos non habere Simulacra, sed imagines tantum pictas*. In Deliciis Eruditorum, non multos ante annos a laudato Johanne Lamio editis, ac illustratis, habentur interrogationes a Carolo Guisio, Cardinali Lotharingio, eo cujus doctrina, pietate, sapientia, & zelo præcipue evenit, ut Concilium Tridentinum, re Christiana rite composita, tandem absolveretur; interrogationes, inquam, habentur Græcis factæ super capitibus Religionis tunc controversis, atque responsa Græcorum ad easdem.

Ejus-

Ejusmodi vero fuit octava interrogatio: *Habentne Græci in Ecclesiis Sculptilia? Et cur non habent?* Ita vero responderunt οὐκ ἔχομεν γλυπτὰ κ. τ. λ. *NON HABEMUS SCULPTILIA, quum id nobis a Deiferis Patribus traditum non sit, maxime vero PROHIBENTIBUS hæc colere, & adorare. Et audi Deiparentem David in XCVI. Psalmo ita dicentem:* Erubescant omnes adorantes SCULPTILIA, & gloriantes in SIMULACRIS suis. *Et pariter in Deuteronomio*: Irritaverunt me in IDOLIS suis. *Atque iterum David in CXXXIV. Psalmo*: SIMULACRA GENTIUM. *Itaque Gentes habent SIMULACRA, & SCULPTILIA, & non Gens sancta, quæ est Christianorum, secundum Theologos nostros*, ὥστε τὰ ἔθνη ἔχουσιν εἴδωλα καὶ γλυπτὰ, καὶ οὐ τὸ ἔθνος τὸ ἅγιον, ὅ ἐστι τῶν Χριστιανῶν κατὰ τοὺς κατ' ὑμᾶς Θεολόγους. Καθ' ἡμᾶς En modo quanam ratione ad Leonem Isauricum scripsisse Germanum Patriarcham jactent Græci. Ἄκουσόν μου, ὦ βασιλεῦ κράτιστε, ἄλλο εἶναι τὸ εἴδωλον, καὶ ἄλλο ἡ εἰκὼν, κ. τ. λ. *Audi me, Rex potentissime. aliud est idolum, & aliud imago: quia idolum est, & dicitur lignum, quod est sculptum, habetque viri, & mulieris similitudinem, statque separatis cruribus, & imago est illa, cujus manu tua non potes divisim, aut manus, aut pedes, aut ullum aliud membrum capere. Propterea & nos, si qua similitudo est aut Christi, aut Sanctorum, cujus seorsum membra sunt, eam non adoramus; HABET ENIM IDOLI FORMAM.* Ita apud Vincentium Riccardium in Opere inscripto: Τάγμα τῆς πίστεως, Κεφ. 15. ceu ex Apostoli Zigaræ Compendio Historico, atque ex Damasceni Studitæ ser-

Sermone XXV. sui Thesauri. Quæ verba, quamvis Germani Patriarchæ non sint, opinionem tamen Græcorum circa sacras Statuas manifestant. Quid tandem plura? Cardinalis Quirinus ante non multos annos Archiepiscopus Corcyrensis, in Præfatione ad Enchiridium Græcorum, Benedictum XIII. Ordinis nostri Pontificem Maximum laudibus ob id quoque cumulabat, *quod in ipsamet sua Archidiœcesi* (Beneventana) *egregie laboraverit, ut Græci ad eandem pertinentes, sacras imagines anaglyptico opere fabrefactas, quas maxime abhorrebant, domi admitterent.* Si tantæ molis fuit efficere, ut Græci Latinam ad Diœcesim pertinentes, imagines anaglyptico concinnatas opere domi admitterent, animadvertendum relinquo, an Orientales Græci Statuas recipere in Ecclesiis soleant, ac velint. Pauca hæc vero præmittenda erant, ne ponere errore videremur, quem absque caussa oppugnaremus.



CAPUT

CAPUT II.

Ostenditur Deorum cultum pictis in Tabulis non minus quam in Statuis vetitum a Numine fuisse.

NEminem quum lateat, Statuas sacras ex eorum esse genere, quæ ἀδιάφορα appellantur, ac in potestate esse Ecclesiæ eas, ut vel ableget, vel colendas proponat, juxta quod æquum ipsa duxerit: adeo ut stabile, immotumque maneat quicquid Concilio constitutum est, sive pictis solum, sive sculptis etiam imaginibus utamur: minime propterea crimini Græcis verterem, si, dum pictas venerari non modo licere, sed utile etiam esse, atque frugiferum defendunt, sculptas sibi haud proponerent ad colendum: quam immo temperantiam in hominibus maximam partem Mahumedanorum sub imperio degentibus nemo non maxime laudaverit. modo ne sculptas Latinorum imagines, ac earum apud nos minorem cultum idololatriæ postularent. Sed quoniam ita affecti sunt, ut in Idolis sculptas numerent, earum detestentur cultum, nosque Latinos maledictis, quasi idololatras insectentur; hinc Ecclesiæ nostræ vindiciis elucubrationem hanc consecrandam decrevi, ea ratione tamen, ut aliquid prope novi in medium etiam afferrem. Itaque iis omnibus prætermissis, quæ Polemici propugnando sacrarum Imaginum usui proferre solent: quum Græci recentiores duobus se agi jactitent momentis, sacrarum scilicet literarum

verbis

verbis Sculptilia prohibentibus, usuque frequentissimo Statuarum apud ethnicos: proinde eadem ipse methodo procedens, Divinum Legumlatorem haud minus quam Sculptilia, pictas vetasse Deorum Tabulas ostendam, necnon ethnicos, haud minus quam Sculptilia, suos in Tabulis pictis coluisse Deos, ut recriminationis via, quæ tutior apud imperitos est, jure demum consequat, Simulacra sacra a Latinis culta haberi non posse idololatriæ reliquias, nisi de sacris etiam Tabulis id adfirmari valeat, quas Græci colunt vehementer.

Solemne est Exodi præceptum capite XX. his verbis: *Non facies tibi Sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ est in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles, quia ego sum Dominus Deus tuus.* Posterius hoc divini interdicti membrum animam esse, ut ita loquar, totius præcepti, ac legis, quotquot fuere, ac sunt Interpretes egregie ostenderunt: prohiberi nos scilicet, unum præter verum Deum, quippiam aliud, ceu Deum adorare, sive ipsum per se se, sive ejus signum, figuram, imaginem, effigiem, simulacrum, statuam, picturam, symbolum, aut repræsentationem. simulque objectum nullum adspectabile Deum credere, non ea, quæ ad *Sabeismum*, non quæ ad *Amuletismum*, neque quæ ad *Theosynodiam* spectare potuissent. Et quemadmodum laudatis verbis non tam illi, qui Spiritus, aut animas, vel homines, verum etiam ii, qui feras, aut volucres, arbores, vel montes, fluvios, aut terram, quique corpora cœlestia, vel alia

alia quæcumque emblemmata & symbola divinis honoribus mactassent, damnabantur, ita & ii, qui sive sculptas, sive pictas etiam imagines & formas Deorum coluissent.

Tanto vero minus hac de re dubitari a Græcis posset vel deberet, quanto prior, maximæque apud eos auctoritatis Versio LXX. unico nomine ea omnia his verbis significasse videatur: *Non facies tibi IDOLUM* εἴδωλον, *neque omnem similitudinem*. Similiter & Origenes Libro VII. contra Celsum legit: *Non facies tibi ipsi IDOLUM* εἴδωλον, *neque omnem similitudinem*. quemadmodum & Cyprianus in Libro de Exhortatione ad Martyrium, citata Exodi verba ita effert: *Non facies tibi IDOLUM*, *neque cujusquam similitudinem*. Est autem IDOLUM sensibilis ac apparens cujuscumque rei atque corporis repræsentatio quacumque ex materia constet, aut quacumque vi, vel arte, vel quocumque fiat modo, ut obvius Homeri, Platonis, Luciani, Eustathii, aliorumque ostendi solet Græcorum testimoniis. Sacrarum autem sensu Literarum, Sanctorumque Patrum, quodcumque est, sive fictum, sive pictum, seu informe, seu dolatum, sive ad immaterialem, sive ad corpoream pertinens naturam, eo proposito, effictumque fine, ut cultus et divinus præbeatur. propterea Hieronymus aliquando *Sculptile*, aliquando *Imaginem*, aliquando *IDOLUM* habet in loco Exodi illustrando; & Oxoniensis Cypriani Editor, in adnotationibus ad allegatum ejusdem testimonium animadvertit, *tum LXX.*, *tum Cyprianum*, *IDOLUM*, *non Sculptile*, *vertisse*, *quia non refert*, *an Arte Statuaria*,

AN PICTORIA fiat quod colitur. Haud igitur nomine *Sculptile* solæ sculptæ imagines, viventisque formam ac effigiem habentes, intelligendæ heic omnino sunt, sed quodcumque satius idololatricum objectum; quum unus totius Mosaicæ orationis sensus, unusque verborum omnium complexionis scopus fuisse videatur.

Quod si vero Mosaicum interdictum membratim enarrare velis, ac nomen *Sculptile* solas ad imagines sculptas esse referendum censeas, cur eorum, quæ adjiciuntur, *neque omnem similitudinem*, habenda ratio non erit? Constat quidem, hebraicam nominis radicem non haberi, sed arabicam tantum *mun*, sive *munato*, quæ vices alterius gerere significat: verum & Versiones omnes, ac veteres Paraphrases, sive earum Waltoniana in Collectione interpretationes, cum LXX-virali consonant, οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα, quemadmodum & Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone legit, μὴν ὁμοίωμα, & Origenes mox citato loco, οὐδὲ πᾶν ὁμοίωμα. Videntur autem voces ὁμοίωμα, & ὁμοίωσις, probatissimis a Scriptoribus usurpatæ ad denotandam eam revera similitudinem, quæ prototypum inter ac imaginem, si vera sit, oporter intercedat, sive sculpta imago fuerit, sive solis etiam coloribus expressa. Jupiter apud Lucianum Dialogo Deorum VI proponens Junoni εἴδωλον ex nebula faciendum, ad decipiendum Ixionem, regerit illa: *At nebula ista ego esse videbor, ac turpe illud in me patrabit OB SIMILITUDINEM*, διὰ τὴν ὁμοιότητα. Eunapius in vita Jamblichi: *Videtur autem Jamblichus eodem laborasse malo, quo PICTORES, qui formosulos in ætatis flore constitutos dum pingunt, voluntque picturæ*

lenoci-

lenocinium quoddam & gratiam de suo adjicere, τὸ πᾶν εἶδος τῆς ὁμοιώσεως διαφθείρουσιν, *quod prius esse debet IN SIMILITUDINE corrumpunt, & ab exemplari proposito aberrant*. Photius in Bibliotheca Codice CCXLIV. *Solent Romani, qui nobilitate, & majorum suorum gloria præstarent*, μετὰ τὴν τελευτὴν εἰδωλοποιοῦνται κατά τε τὴν τοῦ χαρακτῆρος ὁμοιότητα, *mortuorum imagines AD SIMILITUDINEM VITÆ, TOTIUSQUE CORPORIS DELINEATIONEM effingere, ut vitæ seriem servantes, & intra imaginis cujusque propriam virtutem haberent, quos imitarentur. Eodem modo unusquisque e parentibus ejusmodi effigies, & ornamenta habuit, & processit, ut EX EORUM PICTURIS* διὰ ἐκ τούτων ἐμφάσεως *quisque intelligat, quantas in Republica dignitates singuli, & honores gesserint*. Si igitur ὁμοίωμα, & ὁμοίωσις SIMILITUDO æque de imagine picta, proprieque dicitur, ac de sculpta, deque figura quacunque cum exemplari suo conveniente, cur Mosaici interdicti verba ad solas Statuas erunt referenda?

Viri immo fuere in illustrandis Antiquitatibus egregii, qui interdictum illud Picturas magis quam Sculptilia respexisse arbitrati sunt. Warburtonus celebri in Opere de Hieroglyphicis Tomo I. pag. 289. *Animadvertendum est*, inquit, *antiquiorem cultum animalium in Ægypto haud viva respexisse animantia, sed verius IMAGINES EORUM PICTAS, ET COLORIBUS EXPRESSAS. Secundum Decalogi præceptum, ac Moysis ad Israelitas sermo, quo eos ad veram Religionem profitendam hortatus est, evidentissime evincunt, Exodi atque Ægyptios nondum vera*

animalia adoraſſe, ſed eorum PICTAS SOLUM FIGURAS, *eas, inquam, expreſſas coloribus effigies, ex quibus Idololatria orta eſt*. Agit eo loci Warburtonus ex Sanchoniatone apud Euſebium de antiquiſſima Pictura Ægyptiorum, quæ prima fuit ſcribendi ars ab Ourano per ſimplices rerum imagines inducta: quam artem quum Tautus, ſive Mercurius Ægyptius, perficere, proferreque ſtuduiſſet, compoſitas propterea effigies, ſive hieroglyphicas inſtituiſſe dicitur figuras, quæ priori ſimplicique picturæ ſucceſſerunt. Priorem cum ſimplici Americanorum pictura convenire ſubdit Anglus Scriptor, de qua eruditus egit Hiſtoricus Acoſta. Cum antiquiſſima vero Orientalium pictura eandem Ægyptiorum ſimplicem ac primam alii conferunt, Andreas præſertim Mullerus in Diſquiſitione Geographica, & Hiſtorica de Chataja. Animadverſionem Warburtoni laudat, probatque eximius rerum antiquarum Interpres, Comes de Caylus Tomo III., & V. Antiquitatum ſuarum, nedum primam ſcribendi apud Ægyptios artem fuiſſe ſimplicem objectorum repræſentationem, ac veram picturam faſſus, verum etiam ſimiles imagines reperiri ſubdens apud Sinas, Æthiopes, atque Indos: quare Guignæi, Schmidtii, aliorumque confirmari conjectationes poſſent, qui tot tantaque extremo in Oriente ſibi videre viſi ſunt Ægyptiacarum artium & conſuetudinum veſtigia, ut eas in regiones antiquitus deductas fuiſſe ex Ægypto Colonias dubitare vix valeant.

In his tamen nos haud immorabimur, quemadmodum nec in ſubſequutis compoſitis figuris, five Ægy-

Ægyptiorum Hieroglyphicis, aliquando quidem feliciter, sed sæpesæpius infelicissime explicatis; & solas Deorum effigies ac formas antiquissimo jam tempore coloribus expressas in Ægypto persequemur. Plato Libro de Legibus II. pertinacem celebrans Ægyptiorum vetustissimis in moribus, ac præsertim in repræsentandis eodem semper modo Deorum imaginibus constantiam, scribit: *NEQUE PICTORIBUS, neque aliis figurarum, & quorumcumque artificiorum fabris, nova ulla fas fuisse inducere, neque alia excogitare, præter patria, & recepta. Quod si ea observares in illis locis, comperies A DECEM ANNORUM MILLIBUS DEPICTA, VEL EXPRESSA*, μυριοστὸν ἔτος γεγραμμένα, ἢ τετυπωμένα, *iis, quæ ab Artificibus in præsens fiunt, neque pulchriora esse, nec deteriora, sed eadem arte confecta.* Consonare diceres cum Platone Lucianum in Dialogo de Sacrificiis, ubi habet *Ægyptiorum Dii nunc etiam eas obtinent formas, quas olim assumpserant, illæ siquidem formæ DILIGENTER DEPICTÆ, idque ante annos plus decies mille in adytis positæ servantur.* ταῦτα γὰρ ἀμέλει ἐν τοῖς ἀδύτοις ἀπόκειται γραφέντα πλεῖν ἢ ἀπὸ ἐτῶν μυρίων. Consonare, inquam, diceres, nisi notum esset, Lucianum potius Ægyptiorum vanitatem, pictis Numinum suorum imaginibus antiquitatem tam immanem tribuentium, heic ridere voluisse. Ex irrisione ista tamen, eaque ex vanitate, immensa adhuc picturæ apud ipsos antiquitas elucet: cujus tam prolata fama erat, ut Plinius quoque Libro XXXV. Capite 3. haud omittendum duxerit, Ægyptios, *vana quamvis prædicatione*, gloriari solitos, artem pingendi

gendi floruisse SEX ANNORUM MILLIBUS in Ægypto antequam transiret ad Græcos. Et vero Ramsæus Libro III. Cyropediæ, secundam Ægypti ætatem, Regumque Arabum ac Pastorum in eam adventum describens, tunc factum inquit, ut, arcanis mysteriorum cognitionibus omissis, se se ingenuas ad artes converteret Ægyptus, *tunc Idololatriam Ægyptum ingressam, tunc SCULPTURAM, PICTURAM, ET POESIM omnes obscurasse puriores ideas, hasque sensibiles in formas, ac imagines vertisse, quare occultum, & allegoricum penetrare sensum vulgus non valens, imaginibus ipsis SCULPTIS, PICTISQUE facile adhæsit*. Ramsæi vero longe admodum vestigia sequutus Terrassonus suo in Ægyptio Sethosio ingenuarum mentionem artium omiserat; cui inconsiderantiæ remedium attulit secundis curis, excogitata ex Auctore, quem vertere se fingit, additione, Heroeque suo per Ægypti Pinacothecas circumducto· adeo vetustis de Ægyptiis dicere, & graphidos miracula non celebrare, piaculum visum est.

Hæc tamen quemadmodum cognitionem nostram, ita multo magis Græcorum, contra quos heic agimus, captum superant: proindeque ab harum meditatione rerum, inviti licet atque ægerrime, divellimur: qui enim, nisi in fœcundissimam humanitatis non modo, sed scientiarum, & artium propaginem Ægyptum, beatasque in Orientis oras, mentem atque animum intendas, vel adumbratam antiquitatis cognitionem consequuturum te speres? Nullam nobis Celtæ, qui aquilonares & caliginosas hasce incoluere primum terras, originis rerum, & artium me-

memoriam per manus tradidere; Græcique & Romani nimis recentiores sunt, quo nos ad primævam illam antiquitatem manuducant, tametsi satis vetustatis habeant, ut pervio eorum testimonio adversarios oppugnemus. Ad interpretationes itaque revertimur, quas Græci veteres Scriptores atque Patres interdicti Mosaici dederunt, juxta quos, quemadmodum sculptarum, ita pictarum Numinum imaginum cultus vetitus per Legem fuit. Animadvertit Johannes Clericus, Mosaicum interdictum ita a Flavio Josepho adferri: *Secundum præceptum jubet nullius animalis factam IMAGINEM adorare.* ὁ δεύτερος κελεύει μηδενὸς εἰκόνα ζώου ποιήσαντας προσκυνεῖν. Tali autem ex dicendi modo colligit in Commentario ad Exodum allegatus Scriptor, *ætate Josephi vetitas habitas fuisse PICTURAS a Judæis, quod sub animalium figuris NUMINA PINGERENT Gentiles fuæ:* quod testimonio Plutarchi in Libro de Iside, & Osiride confirmat, ubi habet. *PINGUNT & accipitre Deum hunc* (Osirim) *sæpe.* γράφουσι δὲ ἱέρακι τὸν Θεὸν τοῦτον πολλάκις, ac uberius Herodoti, Taciti, Lucani, Philostrati, Lactantii, Eusebii, aliorumque testimoniis confirmare potuisset, ubi non tam in pictis animalium figuris expressos ajunt in Ægypto Deos, sed etiam in imaginibus illis ita pictis adoratos. Nos vero in voce εἰκόνα a Flavio usurpata vim faciendam existimamus, quum enim vox *Imago* latius pateat, quam Statua, quumque Imaginis nomen, quemadmodum Idoli vox, tam sculptis, quam pictis imaginibus proprie aptari intelligatur, eruere fas est ex modo dicendi tam eximii Scriptoris, Mosaico præcepto pi-

ctas

ctas haud minus quam sculptas falsorum Numinum imagines adorari vetitas fuisse. Quumque & Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone æque scripserit: *Nonne Deus is erat, qui per Moysem sanxit, nullam omnino NEQUE IMAGINEM, NEQUE SIMILITUDINEM*, μήτε εἰκόνα, μήτε ὁμοίωμα, *fieri eorum, quæ in cælo sunt sursum, neque in terris deorsum?* Quum, inquam, ita summatim interdictum illud retulerit Justinus, ac nomine εἰκόνα, quod imaginibus quacunque ex materia, & qualibet arte factis accommodatur, usus sit, apertissime iterum evincit, cujuscunque generis imagines, si falsorum fuissent Numinum, coli vetitas fuisse, ac ætate illa Gentiles Numina coloribus exprimere fuisse solitos, eaque sic depicta adorare.

Sed Moysis verba Patres ac veteres Scriptores ita per partes iterum enarraverunt, ut nullum nobis de interdicti illius sensu dubium relinquant. Philo in Libro de Decalogo docebat: *Secundo Moysis præcepto prohiberi manufacta, & Simulacra, Statues, & universe quæcumque COLUNTUR IN TEMPLIS, QUORUM PICTORIA, & Fictorum ars*, ἣν γραφικὴ καὶ πλαστικὴ *noxiæ sunt opifices.* In Libro autem de Legatione ad Cajum ita præceptum illud efferebat: *Non effigiem, non similitudinem, NON PICTURAM*, μὴ γραφὴν. Ubi rursus: *PICTURA, & Fictura noxiæ artifices.* γραφικὴ καὶ πλαστικὴ βλαβεραὶ δημιουργοί. Denique in Libro de Gigantibus *Moyses illas speciosas, & magni pretii artes PICTORIAM, & Statuariam* ζωγραφίαν καὶ ἀνδριαντοποιίαν *sua a Republica exclusit.* Clemens Alexandrinus Libro Stro-

matum

matum V. his utebatur verbis: *Moyses olim LEGE SANXERAT, nullam sculptam, vel conflatam, vel fictam, VEL PICTAM, vel ad exemplar aliquod efformatam imaginem faciendam.* μηδὲν δεῖν γλυπτὸν, ἢ χωνευτὸν ἢ πλαστὸν ἄγαλμα τι ἢ ἀπεικόνισμα ποιεῖσθαι. In Admonitione ad Gentes scripserat idem Pater: *Non facies inquit Propheta cujusvis rei similitudinem eorum, quæ sunt in cælo, & quæcunque sunt in terra infra. Revera enim Cererem Praxitelis, & Proserpinam, & Jacchum mysticum, Deos existimamus, vel Lysippi artes, VEL MANUS APELLIS,* ἢ τὰς χεῖρας τὰς ἀπελλικὰς, *quæ divinæ existimationis figuram materiæ tribuerunt.* Origenes de Judæis loquens Libro contra Celsum IV. *Apud quos*, inquit, *nullum aliud Numen erat receptum, quam Deus hujus rerum universitatis Præses, procul ablegatis omnibus imaginibus. Nam in Republica eorum NULLUS ERAT PICTOR, NEQUE STATUARIUS. LEGE ILLOS EX EA EJICIENTE,* οὔτε γὰρ ζωγράφος, οὔτ' ἀγαλματοποιὸς ἐν τῇ πολιτείᾳ αὐτῶν ἦν, ἐκβαλλόντος πάντας τοὺς τοιούτους ἀπ' αὐτῆς τῦ νόμου, *ne qua occasio præberetur hominibus crassis, & indoctis imagines fabricandi, quibus attraherentur, & a Deo avocarentur ad terrena animi.* Homilia vero in Exodum VIII. ita Decretum Mosaicum enarrat: *Aliud est facere Idolum, aliud similitudinem. Si quis in quolibet metallo auri, vel argenti, vel ligni, vel lapidis faciat speciem quadrupedis alicujus, vel serpentis, vel avis, & statuit illam adorandam, non Idolum, sed similitudinem facit. Vel etiam si PICTURAM ad hoc ipsum statuat, nihilominus similitudinem fecisse dicen-*

dus est. *UTRUMQUE ERGO RESECAT SERMO DIVINUS*, *ut neque affectu colas*, *neque specie adores.* ἄλλο εἴδωλον, καὶ ἕτερον ὁμοίωμα, κ. τ. λ. Theodoretus autem Quæstione XXXVIII. in Exodum docere volens in quo differrent Idolum, & similitudo scribit: *Idolum nullo modo subsistit. Similitudo vero est alicujus imago, & effigies. Quia igitur Græci figuras rerum haud subsistentium effingunt, veluti Sphingas, Tritonas, & Centauros, Ægyptii autem Cynoprosopos, & Bucephalos, tales rerum haud subsistentium fictiones IDOLA vocat, SIMILITUDINES autem rerum subsistentium effigies, veluti Solis, Lunæ, stellarum, hominum, belluarum, & his similium, quæ omnia vetat adorare, & colere. Non temere autem utrumque prohibuit: sed quia sæpe contingit, quosdam humano metu perterritos, adorare quidem, non tamen animo colere, propterea docuit utrumque esse impium.* Τὸ εἴδωλον οὐδεμίαν ὑπόστασιν ἔχει· τὸ δὲ ὁμοίωμα, τινός ἐστι ἴνδαλμα καὶ ἀπείκασμα. κ. τ. λ. Dixeris hæc fortasse subtiliora, neque in constituendo illo discrimine inter SIMILITUDINEM, ET IDOLUM reliquos Patres cum Origene atque Theodoreto convenire: cum illis tamen apertissimi testes sunt Origenes ac Theodoretus, tam Idola, quam Similitudines, tamque Statuas, quam Deorum Picturas, Mosaico fuisse præcepto, ne colerentur, interdictas. Euthymius denique Commentario in Matthæi Caput XXXIV. nullas fuisse apud Judæos pictarum imaginum Tabulas ea de caussa tuebatur, quod QUASCUNQUE HABERE SIMILITUDINES LEX ILLIS PROHIBUISSET; quemadmodum & Tertullianus

nus scripserat Libro contra Marcionem IV. Cap. 22

Jam vero, quis umquam sibi persuaserit, Patres ac veteres Scriptores eo pervenisse, ut docuerint, Pictorum artem fuisse ex Hebraeorum Republica ejectam, (quod aliquo tantum sensu verum fuisse suo dicemus loco, ne scilicet imagines adorandas pingerent,) nisi vi textus, ac magis adeo receptae Traditionis cognovissent, praeceptum Moysis ad imagines etiam referri Deorum coloribus expressas; ac nisi vidissent, ethnicos, aetate saltem sua, picta Deorum Tabulas haud minus quam eorum Sculptilia adorasse?

Infiniti prope essemus, si Hebraizantium hodierni temporis cogitata in locum Moysis exscriberemus. Calmetus, quem cum veteres, tum recentiores Exegetas complexum esse cuncti norunt, ita verba Exodi, de quibus agimus, illustrat: *Prohibet Deus Hebraeis habere figuras Sculptiles, AUT IMAGINES PICTAS, aut anaglyptico opere elaboratas, alicui cujuspiam Numinis, neque se ita patitur repraesentari. Interpretes quidam per SCULPTILE, figuras omnes, seu diaglypticas, seu anaglyphas cujuscunque naturae, ac materiae intelligunt. per alia vero verba, OMNEM SIMILITUDINEM intelligunt OMNIA PICTURARUM, ET PLANARUM REPRAESENTATIONUM GENERA. Constat profecto temporibus Moysis, in Aegypto, Sculptores, Aeris Conflatores, Artifices peristromatum, atque vestium acu pingendarum opere phrygio Artifices passim extitisse.* Hujusmodi autem enarratio, & divisio, juxta quam, ut nomen *Sculptile* ad Simulacra, & Statuas, ita vox *Similitudo* ad picturas relata fuisse credatur, recen-

D 2 nores

tiores apud Scriptores, & communiter adeo recepta est, eorumque mentibus ac animis adeo adhæsit, ut inter præjudicata habeatur: quapropter in Observationibus ad Libros nostri Manuelis Calecæ, Patriarchæ CP. ita paucis adversus Græcos argumentaretur Stevartius: si in verbis: non facietis in vobis SCULPTILE, sculptas Sanctorum imagines existimant Græci prohiberi: cur item picturas illarum, quales permultas Rutheni venerantur, non putant sequentibus prohiberi verbis: NEQUE OMNEM SIMILITUDINEM, quæ vel in cælo desuper, vel in terra deorsum?

Accedit, non allegatum modo Exodi locum urgendum esse, sed alia quoque heic consideranda Sacrarum Literarum testimonia, quæ ad cetera Idololatriæ, ac imaginum olim cultarum genera non clare referuntur. MECHILTHA, hoc est, vetustissimus, eruditissimusque Commentarius in Exodum, a Blasio Ugolino ex hebraico latine redditus, editusque Tomo XIV. Thesauri Antiquitatum Sacrarum, hucusque laudatum Exodi locum ita interpretatur, ac illustrat: *Non facies tibi Sculptile*, non facies sibi Sculpturam, sed facies sibi obstructum; idcirco dictum est: *Et omnem Similitudinem*. Non facies sibi obstructum, sed plantabis sibi plantam, idcirco dictum est, Deuteron. XVI. 21. *Non plantabis tibi lucum*. Non plantabit sibi plantam, sed faciet sibi ligneum; idcirco dictum est: *Omne lignum*. Non faciet sibi ligneum, sed faciet sibi lapideum; idcirco dictum est Levitici XXVI. 1. *Et lapidem figuratum*. Non faciet sibi lapideum, at faciet sibi argenteum; idcirco

circo dictum est Exodi XX. 23. *Deum argenti*. Non faciet sibi argenteum, at faciet sibi aureum: idcirco dictum est ibidem: *Et Deum auri*. Non faciet sibi Deum aureum, at faciat sibi Deum æneum, stanneum, & plumbeum, idcirco dictum est Exodi XXXIV. 17. *Deum fusilem non facies*. Non faciet sibi similitudinem omnium istorum, sed faciet sibi imaginem; idcirco dictum est Deuter. IV. 16. *Ne corrupte agatis &c.* Non faciet sibi omnem imaginem, at faciet sibi imaginem bestiæ, & volucris, idcirco dictum est ibidem: *Similitudinem omnis quadrupedis &c.* Non faciet sibi imaginem omnium istorum, at faciet sibi imaginem piscium, locustarum, abominationum, & reptilium; idcirco dictum est ibidem: *Similitudinem cujuscunque reptilis in terra*. Non faciet sibi imaginem omnium istorum, at faciet sibi imaginem Solis, & Lunæ, Stellarum, & Planetarum; idcirco dictum est ibidem: *Neve attollas oculum tuum ad cælum*. Non faciet sibi imagines omnium istorum, at faciet sibi imagines Angelorum, Cherubim, rotarum, & ignium, idcirco dictum est: *Quæ sunt in cælo*. Non faciet sibi imagines omnium istorum, at faciet sibi imagines abyssi, & tenebrarum; idcirco dictum est: *Quæ in aqua subter terram*. Usque adeo infestatus est Deus Sanctus Benepictus desiderium malum, ne daretur facultas et inveniendi rationem probabilem permissionis. Hucusque verba laudati Commentarii, hominibus politioris ingenii, ac eruditæ elegantiæ molesta fortasse, & importuna; sed vim & spiritum, & animam, consilium que divini interdicti ostendentia, & Sacrarum

ana-

analogiam Literarum, quibus cujuscunque imaginum profanarum generis, non vero Sculptilium tantum, cultus prohibetur.

Et vero, cur juxta Patres, ac egregios Sacrarum Literarum Exegetas, prohibitæ imagines Judaico populo fuere? Profecto, ne occasio hominibus imperitis præberetur cogitandi Deum habere corpus, aut esse circumscriptum, neve sensibiles, & creatas res loco Numinis haberent; atqui occasio ejusmodi eodem pacto data, acceptaque fuisset, sive sculptis solum, sive pictis etiam imaginibus, vel quocunque fuisset modo res aliqua creata proposita ut adoraretur, itaque quemadmodum sculptarum imaginum cultus, ita & cultus imaginum pictarum debuit prohiberi. Sed & insanum foret cogitare, Sculptilia Sacris in Literis vetita fuisse, vel quia Simulacra solum, vel quia Deorum modo Signa essent, quum Græci ipsi, non Constantini dicam, & Successorum ætate, sed Nicetæ quoque tempore, Constantinopolitana præsertim in urbe ad ornatum & decus in foris ac porticibus innumera haberent Deorum Signa & Simulacra; neque nos idololatriæ postulent, propterea quod principibus in urbibus Statuarum Numinum legiones habeamus. Prohibita igitur fuere Sculptilia, quia imagines falsorum erant Numinum populo propositæ ut adorarentur; quemadmodum prope omnes Patres ostendebant, dum imagines Cherubim, æneumque serpentem jussu Dei in deserto a Moyse erectum, adversus eos, qui talia Mosaico cum interdicto conciliare nesciebant, vindicaverunt. Verum quum eadem falsa Numina populo proponi

po-

potuissent, & porro proposita fuerint, ut consestim ostendemus, pictura, coloribus, anaglyptico vel textili opere, in pariete, vel in vestis, vel Tabulis expressa ut adorarentur, sequitur, ea ratione, eaque de caussa oportuisse has etiam imagines vetari, & porro ita prohibitas fuisse. Sane in ea monumentorum, rationumque infinita serie, quam & veteres, & recentiores Polemici, sive ad oppugnandum, sive ad sacrarum cultum imaginum vindicandum, acute, ingeniofeque, aliquando etiam praeter modum, extulerunt, nil reperire tibi datum erit, quod utrique imaginum generi non accommodetur: propterea que, ita rectissime Petavius Libro de Incarnatione XV. Capite 14. *Tametsi fatendum sit, imagines pictas in usum antiquioris Ecclesiae frequentius receptas esse quam Statuas; non est tamen existimandum, veteres istas esse, aut idololatriae, vel umbram ullam continere: CUM SIT EADEM AMBARUM CAUSSA, nec inter eas discrimen sit ullum; ut sive Decalogi interdicto prohibeantur imagines, quod Iconomachi contendunt: sive non prohibeantur, quod Catholica defendit Ecclesia, non minus ad PICTORUM, quam ad Statuariorum opera, vis illa Legis pertinere putanda sit.* Revera Protestantes, hac in parte a nostris moribus alieni, quum tamen ratione ac methodo philosophica procedant, haud magis a sculptarum, quam a cultu pictarum imaginum abhorrent: irridentque Graecorum superstitiosam cautionem Sculptilia vitantium; circa pictas vero imagines majori, ut ipsi ajunt, licentia lasciventium, ut apud Danielem Colonium legere est Disputatione IV. Libri I. Analy-

scos

seos paraphrasticæ Institutionum Theologicarum Præceptoris sui. Ast quum recentiores Græci magis a Critice, & a Logica, quam a Sculptilibus abhorreant, quid mirum, si Statuas Christi, Deiparæ, ac Sanctorum aversati, pictas eorum Tabulas religioso honore prosequuntur?



CAPUT

CAPUT III.

Imagines Deorum pictas, ab Idololatris fuisse cultas, sacrorum ostenditur testimonio Scriptorum.

QUoniam vero recentiores Græci ea semper in ore habent, quæ divini Scriptores adversus Sculptilia protulere, videamus, an expressæ minus sint Sacræ Literæ, ubi de illis verba faciunt, qui profanas Picturas coluere: hoc enim pacto operam dabimus, alterum ut eorum oppugnemus, qui Statuas aversantur sacras, fundamentum: sola nempe Simulacra, non vero pictas imagines Deorum, cultas a Gentilibus fuisse. Apostolus Paullus in Epistola ad Romanos Capite 1. de Imaginibus profanis loquens, quas Sapientes hujus seculi sibi colendas permisere, iis utitur verbis, quibus revera denotat, eos non tam Simulacra, & Statuas, quam pictas etiam effigies, & figuras honoribus divinis affecisse, quippe scribit: *Quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei IN SIMILITUDINEM IMAGINIS corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, καὶ πετεινῶν, καὶ τετραπόδων, καὶ ἑρπετῶν. Essent fortasse, qui vim, ac emphasim illius dicendi modi considerarent, IN SIMILITUDINEM IMAGINIS, quam apud Brianum Waltonum Interpretationes Syriaca, Arabica, ac Æthiopica retinuerunt,

E nec

nec non Chrysostomus Homilia III. in Epistolam ad Romanos scribens. *Quibusnam gloriam Dei attribuerunt? Non hominibus, sed* SIMILITUDINI IMAGINIS *corruptibilis hominis &c.* οὐκ ἀνθρώποις, ἀλλ' ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, κ. τ. λ. Videtur autem SIMILITUDO IMAGINIS speciem significare, figuramque, formam, & effigiem expressioris ac solidæ imaginis, proindeque adumbratas tantum hominum, volucrum, quadrupedum, & serpentium, & ad Picturam, Sculpturamque planam accedentes propius imagines, quam Statuas, & integra Deorum Simulacra, Apostolus significare voluisse videretur: hancque meditationem confirmare diceres Calmetum, ita Apostoli sensum in Commentario exprimentem: *Et quasi non satis magnum esset crimen, Dei nomen polluere, illud ad res creatas transferendo, illud ipsum tribuerunt etiam* FIGURIS, ET SIGNIS *syderum, hominum, brutorum, eaque venerati sunt, tanquam ea, quæ ab iisdem exhibebantur*. Essent, inquam, qui ita aliquo jure cogitarent. Verum nos dabimus libenter, præstantiores juxta Interpretes, *Similitudinem imaginis* Hebraismum esse, pro imagine simili, vel juxta veram similitudinem repræsentante, quum & Levitici XXVII. 10. ὁμοίωμα εἰκόνος, & I. Macchabæorum 4. ὁμοίωμα εἴδωλον habeatur. Hac tamen in hypothesi quid sequitur? Illud sane: eundem esse verborum Apostoli, & Moysis sensum, eaque eandem habere significationis extensionem, & quemadmodum Mosaico interdicto intelligere nos diximus, prohibitas fuisse non imagines modo Deorum sculptas si adorarentur, verum etiam eorundem imagines colo-

ribus

ribus expressas, ita per Apostoli orationem certiores nos fieri, utrasque a Sapientibus seculi fuisse revera adoratas. Commodum in rem nostram suo in Commentario Theodoretus. *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudine imaginis corruptibilis hominis. quum enim noluissent intelligere omnium rerum Opificem ab interitu liberum esse, & iis quæ videntur superiorem, corporum suorum imagines Deos appellaverunt. Neque enim animarum, quæ sub aspectum non cadunt, imagines imitantur STATUARII, FICTORES SIMULACRORUM, ET PICTORES, οἱ ἀνδριαντοποιοὶ, ϗ ἀγαλματογλύφοι, ϗ ζωγράφοι, sed corporum, quæ corrumpuntur, & intereunt. Nec hoc eis ad impietatem fuit satis: sed volucrum etiam, & quadrupedum, & serpentium imagines adoraverunt.* De imaginum itaque cultu disserebat Apostolus, quas Statuarii non modo & Artifices Simulacrorum effinxerant, sed & de illis, quas coloribus expresserant Pictores. Sermonem vero Apostoli recte illustrat heic Theophylactus scribens: *Porro, gloria Dei est, ipsum ceu creatorem, ceu providentem rebus mortalium gubernatorem cognosci, idque genus alia, quæ ei conveniunt. At enim qui sunt, qui adeo usque deliquerunt? Sapientissimi Ægyptii. Nam & reptilium imagines εἰκόνας illi coluerunt.* Hæc vero vox, ut satis, superque ostendimus, ad omne se se profert imaginum genus, & artificium.

Sed nomina communis significationis omittamus, eaque proferamus in medium, quæ Sacris in Literis expresse protestantur cultas fuisse ab Idololatris Picturas. Ezechiel Propheta Capite VIII., dum de va-

rio idololatriæ genere, in quod variis lapsi temporibus Judæi fuerant, acerbe quereretur, eos pictas adoraſſe Numinum effigies his evincit: *Et dixit ad me: ingredere, & vide ABOMINATIONES PESSIMAS, quas illi faciunt. Et ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium & animalium, abominatio, & univerſa Idola Domus Iſrael DEPICTA ERANT in circuitu per totum, & ſeptuaginta viri de ſenioribus Domus Iſrael, & Jezonias filius Saphan ſtabant in medio eorum ſtantium ANTE PICTURAS, & unuſquiſque habebat thuribulum in manu ſua, & vapor nebulæ de thure conſurgebat.* Hunc præferunt ſenſum vetuſtiſſimæ Ezechielis Verſiones ac Paraphraſes. LXX. habent: Καὶ εἶπε πρός με, εἴσελθε, καὶ ἴδε τὰς ἀνομίας, ἃς οὗτοι ποιοῦσιν ὧδε. Καὶ εἰσῆλθον, καὶ ἴδον, καὶ ἰδοὺ μάταια βδελύγματα, καὶ πάντα τὰ εἴδωλα οἴκου Ἰσραὴλ διαγεγραμμένα ἐπ' αὐτοῦ κύκλῳ, κ. τ. λ. Syriacam verſionem his latino ſermone exhibet Editio Waltoniana: *Vidi omnigenas reptilium, ferarum, atque abominationum ſpecies, omniaque Numina Iſraelis DEPICTA ſuper parietem circumquaque &c.* Paraphraſis denique Chaldaica in hunc modum: *Et vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilis & beſtiæ: abominationes, & omnia Idola, quibus ſerviebat Domus Iſrael, DEPICTA ERANT in pariete per circuitum &c.* Nil expreſſius his teſtimoniis inveniri poſſe quiſque intelligit.

Haud ignoro quidem, aliquorum opinione, talium cultum Picturarum in viſione tantum Prophetæ apparuiſſe: quæ tamen hypotheſis, vel liberaliter conceſſa, nullum conciliaret Adverſariis commodum, tum quod ea Prophetis in ecſtaſi comparere frequentiſſime

tissime solebant, quæ ab idololatris revera patrabantur, tum etiam quod Picturarum ille cultus, *itidem* contra legem, ac immane facinus, & ABOMINATIO PESSIMA appelletur, tum demum quod Exegetarum præstantiores ad allegatum Ezechielis testimonium animadvertant, Mosaica & Divina Lege, non ethnicorum modo Sculptilium cultu, verum etiam cultu IMAGINUM PICTARUM, Ægyptio ritu, animantium speciem, formamque referentium, interdictum fuisse: septuaginta vero Seniores IMAGINES PICTAS in Templo adorandas, vel suis sibi in cubiculis constituisse, quod divina illis præcepta minime tunc negotium facesserent. Hunc ad Ezechielis locum ita rectissime Hieronymus: *Non solum Idolum Zeli stabat in introitu portæ Aquilonis, sed & omnes Templi parietes diversis idolorum IMAGINIBUS PINGEBANTUR, ut nulla esset bestia, quam non parietis PICTURA monstraret. Hoc in delubris Idolorum, phanisque Gentilium hucusque perspicimus, quod omnia genera bestiarum adoret stulta religio, unde & Virgilius ait:*

Omnigenumque Deûm monstra, & latrator Anubis,

Quasi non & illa sint monstra, quæ laudat contra Neptunum, & Venerem, contraque Minervam. Dicit vero Jezoniam filium Saphan, stetisse in medio eorum, quasi principem sceleris eorum, atque sacrilegii, qui, omissa religione Dei, colebant Idola, & in Templo non adorabant Deum, cujus erat Templum, sed PICTURAS parietum. Similitudines igitur illæ reptilium, & animalium, illæque bestiæ sic depictæ, symbola erant

Nu-

Numinum Ægyptiorum, quæ in Templis eorum visebantur, ut nos docet non tantum Strabo Libro XVII. verum etiam & magis Flavius Josephus Libro XIII. Judaicarum Antiquitatum Capite 3. ubi literas Oniæ Sacerdotis ad Ptolemæum, & Cleopatram Reginam refert, horum cum responsis ad Oniam, in quibus Templum memorat figuris, & imaginibus sacrorum animalium apud Ægyptios refertum, quamvis nulli adhuc singulari Numini dicatum. Quum vero Ægyptiaca Mytologia, post Sesostridis victorias, se se per universum late fuderit Orientem, hinc ea labe non Judæi modo respersi sunt, sed aliæ quoque Gentes plurimæ laboraverunt; quare Hieronymus ejusmodi sacrorum, ut inquiebant, animalium picturas in delubris Idolorum, phanisque Gentilium se perspexisse testaretur, & Clemens Alexandrinus Libro adversus Julianum VII scripserit: *Habent ethnici in Templis imagines multiformes, multarumque specierum, & non ad similitudinem modo virorum, & mulierum factas, sed & ferarum, & jumentorum, volatiliumque & aquatilium; & sileo alias creaturas, nempe Cælum & Solem, & Lunam, & alia astra, QUIBUS SUMMAM ET DIVINAM GLORIAM IMPENDERUNT, & omnia confuderunt.* ἔχονται τε τὰ ἐν σηκοῖς εἴδη πολύμορφα καὶ πολυειδῆ, καὶ οὐ κατά γε μόνους τοὺς ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν εἰδοποιηθέντα τύπους, ἀλλὰ γὰρ καὶ θηρίων ἀγρίων κτηνῶν τε καὶ ἑρπετῶν, κ. τ. λ. Non omnibus sane Græcis, Romanisque Gentilibus probatæ erant illæ Ægyptiorum Numinum imagines, immo invisus eisdem plurimum erat universus Ægyptiacæ superstitionis apparatus,

/ Cyrillus

quem

quem dum rejiciebant tamen, magis magisque sacrorum querelas Prophetarum indicant, & manifestant. Philostratus quippe in vita Apollonii Libro VI. Capite 9. hunc de figuris Ægyptiorum Numinum ita loquentem inducit: *Quanam disciplina compulsi, tam absurdas, ridiculasque Deorum effigies, praeter admodum paucas, vestris hominibus colendas praebuistis? Paucae namque, atque admodum paucae, Deorum formae conspiciuntur, quae sapientiae, divinitatisque ullum praeseferant vestigium? In ceteris vero Templis IRRATIONALIUM ANIMALIUM, ATQUE INFAMIUM POTIUS, QUAM DEORUM EFFIGIES COLUNTUR. Pro Mercurio, Pallade, aut Apolline, immanium ferarum, & avium effigies, honore, & sacrificiis dignamini.* τί μαθόντες, ἄτοπα, καὶ γελοῖα θεῶν εἴδη παραδεδώκατε τοῖς δεῦρο ἀνθρώποις, πλὴν ὀλίγων, ἀσοφοῖς, καὶ θεοειδῶς ἵδρυται, τὰ λοιπὰ δὲ ὑμῶν ἰδίᾳ ζώων ἀλόγων, καὶ ἀδόξων τιμαὶ μᾶλλον, ἢ θεῶν φαίνονται. ἀντὶ Ἑρμοῦ τε, καὶ Ἀθηνᾶς, καὶ Ἀπόλλωνος, τὰ μὲν θηρία, καὶ τὰ ὄρνεα ζηλωτὰ δόξειε τῶν εἰκόνων. Theosynodia inducta, Templorum in parietibus, facta Numinum ipsorum, quibus consecrata erant, sive fabulas, quae ad eos spectarent, ethnici coloribus, ac penicillo expressere, vel Heroum veterum effigies, & acta, sive pictis in Tabulis, Templorum ex parietibus suspensis, sive in ipsis sacrarum Ædium parietibus repraesentari curavere, quemadmodum Historici, Poetae, Philosophi, Oratores, ipsique adeo veteres Graeci, & Romani vel pathoralium Scriptores rerum, vel Romanensium fabularum, dum receptos alludebant ad mores, idem faciunt.

Haud

Haud inficiatus vero fuerim, imagines Numinum, ac Heroum illas, Templorum in parietibus, vel in suspensis Tabulis expressas, ornatus etiam, historicæque cognitionis caussa, fuisse illic collocatas. Verum, qui propterea sibi persuaderet, tales effigies haud fuisse a cultoribus Deorum adoratas, næ ille quid sit, aut fuerit imaginum cultus ignoraret. Ut enim impense amans, amati specie vultus, formaque & effigie picta ita rapitur, ut quocunque in loco sit tabella, quæ amatum vultum exprimit, eam properat deosculari; & quanto magis ornamento pictura caret, tanto majori in eam fertur studio atque voluptate; ita qui sibi Numina in imaginibus semel colenda proposuerant, quomodo eas, quacunque de caussa sacro magis in pariete depictas, non fuissent religiose venerati? Profecto, juxta Sanctos Patres, confestim ut videbimus, ex imaginibus Parentum, Heroum, atque Regum, memoriæ tantum, historicæ cognitionis, solatii, & honoris civilis caussa, primum pictis, deinde & progressu temporis Idololatria orta est. Sique piaculum non foret, sanctas sacrasque res illis cum abominationibus, etiam quod ad externam speciem pertinet, conferre, nonne vides, ut apud nos, qui religiosiores sunt, Templa circumambulent, pictasque ante Tabellas, ornatus etiam caussa sacris ex parietibus suspensas, quæ Christi tamen, atque Martyrum gesta, & passiones exprimunt, genibus flexis diu supplicent, & colant? Mysteria nos certe, sensumque, uti imaginum, ita cæremoniarum ac rituum, vetustissimorum idololatrarum ignoramus, ast quocunque demum consilio depictæ fuerint

rint imagines ostensæ Ezechieli, non obfuit illud tamen, quin eas Judæi religioso cultu adoraverint. DEPICTA dicuntur Idola Domus Israel in circuitu Templi, & SENIORES STANTES ANTE PICTURAS, habitu scilicet adorationis proprio, & unusquisque describitur habuisse thuribulum in manu sua, e quo suffitus effluebat, qui signum cultus, ac precis apud omnes fuit.

Et vero Troglodytas quosdam fuisse, qui Picturas adorabant ab Ezechiele memoratas, ex Philastrio hunc adnotant ad locum Hugo Grotius, & Seldenus in Syntagmate de Diis Syris Capite 11. Troglodytas autem Philastrio dictos novimus, quod sive subterraneo in specu, sive occulto in antro, omnigenas Numinum figuras veluti in Pantheo adorarent. Verum non de antro, aut specu loquitur Ezechiel, quemadmodum Beyerus animadvertit in Additamentis ad illum Seldeni locum; sed fatius de Templo, in quo depictæ Ægyptiacorum Numinum figuræ colebantur. Duo heic interim magnis excidere Viris: Grotius etenim ad factum allegatum, putasse Hebræos se minus peccavisse subjicit, quum non sculptas, sed imagines tantum pictas adorassent: quod tamen quare illi senserint, aut quare ipse dicat, profecto ignorabis. Seldenus autem citato loco, ægre alibi, quam in eo, quo de egimus, Ezechielis testimonio, Picturarum cultus mentionem haberi sibi persuadet: quod tamen verum non esse, illico ostendimus.

Prosequitur namque idem Propheta Capite XXIII. Orationem adversus Judæos suam, adversus scilicet idololatriam Samariæ, ac Jerusalem, propter quam

tradendæ erant in contumeliam Gentibus, quarum superstitionem æmulatæ erant, hæcque usurpat verba: *Et auxit fornicationes suas: cumque vidisset VIROS DEPICTOS IN PARIETE, IMAGINES CHALDÆORUM EXPRESSAS COLORIBUS, & accinctos baltheis renes, & tiaras tinctas in capitibus eorum, formam Ducum omnium, similitudinem filiorum Babylonis, terræque Chaldæorum, insanivit super eos concupiscentia oculorum suorum, & misit nuncios ad eos in Chaldæam.* Egregie locum hunc enarrat Theodoretus scribens: *Eadem*, inquit, *Hierusalem commisit, quæ Samaria: similiter violato fœdere, quod mecum inierat, Syrorum Deos mihi anteposuit, quorum freta societate opem meam contempsit nam per Ducem, & Præfectos innitam cum illis innuit societatem. Recte autem & admodum congruenter Idolorum Syriæ imbecillitatem reprehendit, NIHIL ALIUD ESSE DOCENS, QUAM COLORES ET FIGURAS, ET ARTIS OPIFICIA*, διδάξας οὐδὲν ἕτερον ὄντα ἢ χρώματα, καὶ σχήματα, καὶ τέχνης ἀποτελέσματα. *Syros*, inquam, *quum conspexisset, nihilque aliud cerneret, QUAM PICTORIÆ ARTIS IMAGINES*, καὶ οὐδὲν ἕτερον ὁρῶσα, ἢ γραφικῆς τέχνης ἰνδάλματα, *eorum amavit consuetudinem. Ipsa enim quum Syros ut sibi opem ferrent accersisset, rursum ab illis defecit. Defectionem enim heic non a Dæmonibus, ait Propheta, sed ab ipsis Babyloniis· etenim Joacim, & Jechonias, & Sedecias fœdera, quæ cum Babyloniis percusserant, violarunt.* Ostendemus autem suo loco Gentes quascumque, ita ut ipsæ erant, suos pinxisse Deos, eademque habitudine quemadmodum corporis, ita & ve-

stimen-

stimentorum, quare quum Chaldæorum de imaginibus Numinum heic Ezechiel loquatur, eas propterea habitu, vesteque Chaldæorum ornatas describit, eaque forma, quam decebat Chaldæos; pileum siquidem illum barbaricum, proprium antiquissimarum Asiæ Nationum, præsertim Chaldæorum ac Persarum, capitis fuisse gestamen, pluribus ostendit Sigebertus Havercampus elegantissima in Dissertatione de Numismate Alexandri. Et sane Strabo Libro Geographiæ suæ XV. habitum describens Persarum, inter cetera gestasse eosdem scribit *pileum in capite turritum*, *περὶ τῇ κεφαλῇ πίλημα πυργωτόν*. Quod fastigiatum tegumentum ab antiquioribus in Imperio populis, Medis scilicet, quemadmodum & tiaram, & manicatas tunicas, & anaxyrides, ceteraque frigidis apta locis, Persas accepisse, Libro XI. jam dixerat. Sicut autem a Medis ad Persas, ita a Persis ad Parthos, eorum in terra, & Imperii parte Successores, idem gestamen transiisse rursus animadvertit laudatus Havercampus ex Martiale, Libro X. Epigrammate LXXII. a quo pileati dicebantur:

Ad Parthos procul ite pileatos.

Egregie igitur allegatum Ezechielis locum exhibet, ac interpretatur Cornelius a Lapide his verbis: vidit Viros DEPICTOS, accinctos baltheis, eorumque tiaras, instar Ducum, vel, ut Hebræus ait, Triariorum, easque tinctas; nam soli Reges candidas gestabant. Describit Propheta habitus Chaldæorum ita ad vivum in pariete DEPICTORUM, ut non picti, sed

sed in terra Babylonis orti, & nati viderentur. Hæ Deorum tiaræ in pariete depictæ, similes erant iis, quas more patrio gerere solebant juvenes, vel etiam ipsi VIRI DEPICTI, IDEST, DII CHALDÆORUM, qui non aliunde asciti, sed in Chaldæa orti sunt, ibique primo decreta eis est divinitas, & sacrificia. Ita hic Interpres. Consonant autem cum ipso præstantiores reliqui, quibus intelligimus, Judæos atque Samaritas, Babyloniorum Chaldæorumque moribus corruptos ac imbutos, pictas Syrorum Numinum effigies adorasse; vel non sine delectatione & desiderio recordatos fuisse cultus, quem pictis Deorum suorum imaginibus Chaldæi tribuere solebant: quod argumento certo est, Babylonios ipsos profanarum, picturarumque fuisse cultu imaginum pollutos.

Gisbertus Cuperus Epistola XIII. ad Johannem Clericum de hoc scribens Ezechielis loco, ab eo postulabat, an PICTURÆ ILLÆ in ipsis Ædium parietibus fuerint, an vero in Tabulis ex parietibus suspensis. Quominus enim tapetia designari verbis Prophetæ potuerint, facere sibi COLORES, vel certe MINIUM, videbantur. Quod si primum illud esse verum possit; propterea inferendum consequebatur, jam certe picturam parietum diu in Oriente ante Græcos, & Romanos fuisse: quum tamen Plinius Libro XXXV. Capite 10. artem illam Polygnoto, ac deinde Pausiæ tribuerit. & Capite præcedente scripserit, Ludium Augusti ætate amœnissimam instituisse parietum picturam. Rogabat æque Clericum Cuperus, ut se doceret vellet, an Chaldæorum Pictores Hierosolyma venissent, an vero picturæ se dedissent Ju-

Judæi, postquam præcipue Deo nuncium remisere, & Numina profana coluerunt.

An ejusmodi quæstionibus Cupero responderit Clericus, mihi sane compertum non est; plura tamen in illis sunt, quæ me aliquam in admirationem rapuerunt. Primum est, Cuperum dubitasse de imaginibus Numinum Chaldæorum, de quibus Ezechiel ajebat, in pariete depictis. Præterquamquod enim vix ostendi posset, vetustissimos illos cubicula peripetasmatibus ornasse: & antequam pictæ appenderentur Tabulæ, parietes pingi solitos fuisse, verisimile esse videatur, nonne Prophetæ clara & aperta verba, ipsæque adeo probatissimæ Versiones, ac Patrum Exegeses, omnem ipsi poterant, ac porro auferre debebant dubitationem? Ita scilicet LXX. habent. Καὶ εἶδεν ἄνδρας ἐζωγραφημένους ἐπὶ τοῦ τοίχου, *Et vidit* *VIROS DEPICTOS IN PARIETE*, *imagines Deorum depictas in stylo &c.* Juxta Syriacam interpretationem: *Accessit propterea ad scortationem earum, quod videntes VIROS IN PARIETE DEPICTOS, figuras Chaldæorum &c.* Secundum vero Chaldaicam Paraphrasim: *Et addidit super errores suos, & vidit VIROS DEPICTOS IN PARIETE, imagines Chaldæorum depictas coloribus &c.* Hieronymus, ut vidimus: *Omnes Templi PARIETES diversis idolorum imaginibus pingebantur, ut nulla esset bestia, quam non PARIETIS PICTURA monstraret .... In Templo non adorabant Deum, sed PICTURAS PARIETUM.* Theodoretus ad Caput Ezechielis VIII. *Et omnia Idola Domus Israel DEPICTA ERANT IN PARIETE*, διαγεγραμμένα ἐν τῷ τοίχῳ. Et ad Caput XXIII.

XXIII. *Et vidit Viros* *DEPICTOS IN PARIETE*, ἐζωγραφημένους ἐπὶ τοῦ τοίχου. Nec ullus Exegetarum, quem noverim, de pictura parietis, sive reali, sive solum etiam in ecstasi Prophetæ, dubitavit.

Nullam vero ingerere difficultatem debet, quod Plinius Polygnoto, & Pausiæ parietum picturam asseruerit; quippe quod de Græcis, Romanisque Artificibus sollicitus præsertim fuerit Historiæ Naturalis Scriptor, cujus verba, Ludium quæ respiciunt, Berardus Galianius in Adnotationibus ad Librum VII. Capite 5. Vitruvii, ita explicanda esse censet, ceu non Auctor primus, sed Propagator artis, picturæque parietum, Ludius fuerit; quum in hoc ipso Vitruvii loco parietum picturæ ante Ludium factæ celebrentur. Quid tamen quod perperam mihi confundere videtur Cuperus picturas parietum ab Ezechiele descriptas, & a Judæis adoratas, cum picturis parietum a Ludio confectis. Audiamus Plinium citato loco de Ludius scribentem. *Decet non sileri, inquit, & Ardeatis Templi Pictorem, præsertim Civitate donatum, ibi & carmine, quod est in pictura, his versibus.*

Dignis digna loca picturis condecoravit
Reginæ Junonis supremæ conjugis Templum,
Marcus Ludius Elotas Ætolia oriundus,
Quem nunc & post semper ob artem Ardea laudat.

Ea sunt scripta antiquis literis latinis: non fraudando & Ludio, Divi Augusti ætate, qui primus instituit AMŒNISSIMAM parietum picturam, villas, & porticus,

ticus , ac topiaria opera , lucos , nemora , colles , piscinas , euripos , amnes , litora , qualia quis optarat , varias ibi obambulantium species , aut navigantium , terraque villas adeuntium asellis , ac vehiculis. Jam piscantes , aucupantesque , aut venantes , aut etiam vindemiantes. Sunt in ejus exemplaribus nobiles palustri , accessu villæ : succolantium specie mulieres labentes , trepidæque feruntur , plurimæ præterea TALES ARGUTIÆ , *facetissimi sales. Idemque subdialibus maritimas urbes pingere instituit , blandissimo aspectu , minimoque impendio.* Num , obsecro , ejusmodi a Ludio institutæ parietum , sive ARGUTIARUM AMŒNISSIMÆ PICTURÆ , aliquam ingerere dubitationem possunt , an ante ipsum res seriæ , ac sacræ fuerint in parietibus depictæ ? Num ludicræ Ludii picturæ conferri possunt , aut debent cum Diis Chaldæorum in pariete depictis , cumque imaginibus , quæ accinctos habebant baltheis renes , tiarasque tinctas in capitibus earum ? Minime profecto. Potius de sacris parietum picturis apud Ezechielem legens Cuperus , cogitare debuisset de altero Ludio , scilicet Elota , Ardeatis Templi Reginæ Junonis Pictore , qui certe in ædis illius parietibus gesta Deæ exprimere debuit , ac repræsentare humanas per imagines , vel , juxta opinionem Gentilium , divinas , & ad effigies heroicas Chaldæorum accedentes. Ludius ipse tamen Ardeatis Templi Pictor , quam longe antecesserat Augusti ætatem , quo imperante junior Ludius ludicram instituit parietum picturam ! Errabit reor semper , qui Scientiis omnibus , atque Artibus , non majorem , quam quæ Græca , & Romana

ferant

ferant tempora, tribuerit antiquitatem. Ut autem posterior Ezechielis locus haud satis clare exhibet, an Judæi Hierosolymis Chaldaicas coluerint Picturas; an fatius earum recordati, quas Babylone, & in Chaldæa viderant, in eas insanire, earumque cultum concupiscere veriti non fuerint: quare quæstio de Pictoribus, num Chaldæis, an vero ex Gente Judæorum, supervacanea esse videatur: prior tamen Prophetæ locus de imaginibus Deorum satis dicere videtur, atque ita a Hieronymo explicatur, de imaginibus, inquam, Deorum in Hierosolymitani Templi pariete depictis, quare in Judæicos veluti Pictores propendere oporteret; illud quippe constat, dubitandum non esse de ingeniis artibus olim apud Hebræos florescentibus: quamvis postera dubitatum fuerit ætate, an eas nonnulla circa objecta libere exercere, ac sine piaculo potuerint, variis de caussis, de quibus nos fortasse alias. Interim imagines illæ Chaldæorum Numinum, sive in parietibus, sive in tabulis, sive in tapetibus depictæ: tum sive eas Artifices Chaldæi pinxerint, sive Judaici Pictores, certissimum nobis semper argumentum præbent statuendi, effigies falsorum Numinum coloribus expressas, haud minus quam eorum Simulacra, fuisse ab idololatris superstitioso ritu adoratas.

Sed & alia prostant testimonia Sacrarum Literarum, quibus oblatus fuisse intelligitur picturis imaginum, quæ Deos repræsentabant, cultus. Nam, ut loca omittamus Levitici XXVI. 1., & Numerorum XXXIII. 52., in quibus vi hebraicarum vocum vetitas Judæis fuisse PICTURAS, quas idololatræ colebant,

lebant, doctissimi Exegetæ apud Matthæum Polum in Synopsi Criticorum Sacrorum contendunt, Auctor Libri Sapientiæ Capite XV. hæc habet apertissima: *Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, NEC UMBRA PICTURÆ, labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores, cujus aspectus dat concupiscentiam, & diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima*, vel, ut græcus Textus aperte magis significat: umbra picturarum, labor sine fructu, repræsentatio variis notata coloribus, σκιὰ γραφῶν, πόνος ἄκαρπος, εἶδος σπιλωθὲν χρώμασι διηλλαγμένοις. Exemplaria Græca heic variare adnotant Interpretes: quædam scilicet habere σκιὰ γραφῶν, *umbra picturarum*, alia σκιογράφων *Pictorum*, qui ita appellati sunt, quod lineamenta, umbrasque picturis inducant. Est quippe σκιαγραφία adumbratio, primaque lineamentorum ductio, atque umbrarum, nec extra rem fortasse heic erit animadversio Gronovii ad illa M. Tullii Libro III. de Officiis: *Sed nos veri juris, germanæque justitiæ solidam, & expressam effigiem nullam tenemus: umbra & imaginibus utimur:* Ad quæ nempe adnotat, eorum effigiem, quæ ex cera, ligno, lapide, vel metallo facta sunt, eorum, inquam, effigiem, solidam, & expressam esse, quorum autem picta tantum est forma, eorum esse UMBRAM, quod ex aliis Tullii verbis confirmat Libro I. de Natura Deorum: *Species quædam, quæ nihil solidi habeat, nihil eminentis, nihil expressi*. Sequitur: *Cedo mihi istorum adumbratorum Deorum lineamenta, & formas*. Commodum propterea allegati ex Auctore Libri Sapientiæ testimonii hanc paraphrasim Cornelius a La-

pide concinnavit· *Non decepit nos Pictorum, qui pingendo res adumbrant, & assimilant, labor infructuosus. Vocatur umbra Picturæ, ipsa adumbrata, vel umbrosa, idque primo, quia origo picturæ est umbra· nam prima naturalis corporis effigies, sive imago, est ipsa ejus umbra· unde ex umbra didicerint homines pingere, & pingendo adumbrare. Secundo, quia in pictura magnæ artis est, bene pingere umbras: per illas enim repræsentantur rerum altitudines, profunditates, montes, & valles, distantiæ & intervalla: unde ipsa pictura vocatur adumbratio, & pingere, adumbrare; & σκιόγραφοι appellantur, qui lineamenta, umbrasque inducunt, quibus ea, quæ plana sunt, in pictura eminere videantur. Pro* sculpta, *græce est* σπιλωθὲν, *idest maculata, & variegata variis coloribus, maculæ enim vocantur tum notæ, quibus Pictores solent imagines, & picturas distinguere, & illustrare; tum colorum variegationes. Noster vertit*, sculpta, *QUIA COLORATIO, ET PICTURA PER CATACHRESIM VOCATUR SCULPTURA. Pictor enim pingendo variis coloribus, nunc albicantibus, & claris, nunc nigricantibus, & obscuris, rem quasi ipsam exculpsit, ut videre est in variis affabre expictis. Hinc Idola quælibet, ETIAM EXPICTA DUMTAXAT, vocantur Sculptilia in Scripturis*. Hæc Vir eximius, quo cum præstantiores quique Exegetarum consonant. Horum autem aliqua erunt a nobis iterum explicanda. Sive autem temporibus Babylonicæ Captivitati proximis Liber Sapientiæ concinnatus fuerit, sive ab aliquo Judæo Hellenista, post translationem LXX. Interpretum, in scriptis Philosophorum, Græcorumque Poetarum

tarum

tarum verſatiſſimo, prope ab ætate Machabæorum, certiſſimo erunt ſemper allegata ipſius verba argumento, imaginum falſorum Numinum pictarum cultum, haud minus quam ſculptarum, divina fuiſſe Lege interdictum; ethnicoſque, haud minus quam in Statuis, ſuos coluiſſe Deos in tabulis, aut coloribus expreſſos.



C A P U T IV.

Imaginum pictarum apud Gentiles cultus auctoritate ostenditur Sanctorum Patrum, veterumque Ecclesiæ Scriptorum.

INfiniti essemus, si omnia Patrum, veterumque Ecclesiæ Scriptorum testimonia, quibus Idololatriam oppugnantes, pictas memorant imagines Deorum, heic recenseremus: delectum propterea faciemus tantummodo eorum, quibus tales picturas dicunt a Gentilibus fuisse adoratas. Auspicabimur autem a Clemente Alexandrino, cujus opera, quotquot profana in antiquitate versantur testibus, majorem nobis præbere solent lucem, quam si integros ipsorum Gentilium Commentarios legeremus. Scribebat iste in Admonitione ad Gentes. *Vos autem aliis præstigiis ars decipit, non modo ad amandum inducens, verum etiam AD COLENDUM, ET ADORANDUM SIMULACRA, ET PICTURAS. AT VERO SIMILIS PICTURA EST: laudetur itaque ars, non decipiat vero hominem, ac si esset veritas.* ἀλλ' ἐπὶ τὸ τιμᾶν καὶ προσκυνεῖν τὰ δι' ἀγάλματα, καὶ τὰς γραφάς. ὁμοία γε ἡ γραφή. κ. τ. λ. Rursus eodem in Libro: *Jam illi, qui Simias nutriunt ac exercent, mirantur, quod sive cereæ, sive luteæ similitudines, quamvis ornamenta illis accedant, animalia illa tamen non fallunt. Vos autem vel Simiis deteriores, dum ad lapidea, & lignea, & aurea, & eburnea Simulacra, ET AD DEOS PICTURA EXPRESSOS, animum adjicitis.* λιθί-

νοις,

νοις, καὶ ξυλίνοις, καὶ χρυσέοις, καὶ ἐλεφαντίνοις ἀγάλμασιν, καὶ γραφῆς ἀποτετυπωμένοις. Si ethnici eodem sensu, & affectu, quo Simulacra colebant Numinum lapidea, lignea, aurea, eburnea, Deos æque adorabant pictura, & coloribus expressos, haud video cur Photiani Simulacrorum Gentilium usum contendere valeant proprium fuisse ethnicorum, non item usum imaginum pictarum: quum hic haud minus, tanto teste, Clemente scilicet Alexandrino, immo & ceteris Patribus id testantibus, quam alter in moribus ac sacris fuerit illius saltem ætatis ethnicorum. Sed jam vidimus Clementem Alexandrinum inter idololatrici cultus objecta τὰς χεῖρας τὰς ἀπελλικὰς *Opera Apellis* numerasse: videbimus suo loco ipsum ita de *idolo coloribus formato*, ac de sculpto loquuturum.

Athenagoras Idololatriæ propagationem haud minus, immo pictoriæ magis arti, quam sculptoriæ asserit, in Legatione pro Christianis scribens: *Deorum imagines, quamdiu ars figulina, & PICTORIA non erant, ne cogitabantur quidem, sed tum demum, quum Saurius Samius, & Crato Sicyonius, & Cleanthes* (alter Cleophantus) *Corinthi exorti essent, quum adumbratio a Saurio inventa esset; PICTORIA autem a Cratone &c.* γραφικῆς δὲ ὑπὸ Κράτωνος. Consonat Eusebius, qui Libro Præparationis Evangelicæ I. Capite 9. priscos homines astra cæli solum coluisse, ex eo probare etiam nititur, *quod necdum istæ* γραφικῆς *PINGENDI, fingendique, & cælandi artes inventæ, constitutæque essent*. Epiphanius, quem norunt omnes ex pretiosissimis nunc deperditis Auctoribus, quos florentissima in Bibliotheca adservabat,

tot esse mutuatum, quæ absque ipsius ope nos omnino fugerent, Præfatione in Panarium scripsit: *Nondum in Statuis, aut in tornatis lapidibus, aut lignis, aut argento auroque, aut alia quadam materia Dii fiebant;* μόνον δὲ διὰ χρωμάτων, *SED SOLIS COLORIBUS, ET PICTIS IMAGINIBUS hominis mens sibi malum invenerat.* Quod idem in Ancorato repetit, Numero IV. scribens: *Ac principio quidem simul atque Dæmonum improbitate novum superstitionis genus inventum est, primum illud stupri genus voce, & sermone traditum est, ET RUDI PICTURÆ DELINEATIONE EXPRESSÆ IMAGINES IDOLOLATRICÆ fuerunt,* ἐξ σκιογραφίας τὰ εἴδωλα ἀφετυπώθη. In responsione ad Epistolam Acacii & Pauli, ita idem Sanctus Pater: *Hellenismus cœpit a Seruch temporibus, unde Idolorum cultus initium habuit. Quumque tunc temporis falsa quisque superstitione duceretur, deinceps civiliorem ad usum, certasque ad leges, ac Imaginum ritus se se homines transtulerunt, quorum ex præscripto sibi Numina finxere. Ac primum eos, quos in honore quondam habuissent, sive tyrannos, sive præstigiatores, qui memorabile quiddam in vita fecerant, ac fortitudinis, roborisque illustre specimen ediderant, DEPINGERE COLORIBUS, ET ASSIMILARE SOLEBANT.* διὰ μετ' χρωμάτων διαγράφοντες τὴν ἀρχήν. Ita denique Præfatione in Librum adversus Hæreses: *Seruch ætate initium idololatriæ, superstitionisque Gentilium inter homines factum est, quemadmodum a Majoribus accepimus, tametsi nondum ad Simulacra, cælatosque lapides, aut ligneas, aut argenteas, aureasque Statuas, vel alterius materiæ su-*

perſti-

perstitiosus ille cultus adhæserat, *NEC ALIUD PRÆTER COLORES, ET IMAGINES PICTAS erat*, *in quo hominum mentes novum per se nequitiæ genus excogitarent*. μόνοι δὲ διὰ χρωμάτων καὶ εἰκόνων ἡ τῦ ἀνθρώπου διάνοια ἐφ' ἑαυτῇ κυέστηκε τὴν κακίας. Hæresi vero LXXIX. originem velum Idololatriæ tradens, his utitur verbis: *Dæmon, justitiæ sub specie, perpetuo hominum mentibus obrepens, ac mortalem naturam divinis honoribus consecrans, humanas effigies artificiorum varietate perpolitas, hominum oculis objecit*. διὰ ποικιλίας τεχνῶν διέγραψε. Epiphanium exscripsit Johannes Damascenus Libro de centum Hæresibus, Hæresi III. his verbis: *Ac primum quidem eos, quos olim honoribus affecerant ethnici, sive Principes, sive tyrannos, sive præstigiatores, tum eos etiam, qui memorabile quidpiam, tum fortitudinis, tum roboris facinus edidissent pictis coloribus depingere, & adumbrare cæperunt &c.* διὰ μὲν τῶν χρωμάτων διαγράφοντες τὴν ἀρχὴν, καὶ ἀπεικάζοντες, κ. τ. λ. Ante Damascenum Cyrillus Alexandrinus Libro I. contra Julianum, populos Ægyptiis antiquiores, & Abrahamo synchronos Picturas coluisse tradit, scribens: *Plurimi, qui tunc vivebant, honorem soli tribuendum Deo, elementis mundi tribuebant: Chaldæi præcipue PICTURIS ELEMENTA REPRÆSENTANTIBUS erant præ omnibus addicti. Verumtamen ab eorum dementia alienus erat divinus Abraham*. ἐπέκειντο δὲ τοιαύτῃ γραφῇ τῶν ἄλλων μάλιστα χαλδαῖοι. Elementa illa mundi, quorum cultui addicti Chaldæi erant, τοῖς τῦ κόσμου στοιχείοις ἀνάπτοντες, Angelos fortasse diceres, ita scilicet vocatos, ut ostendimus in nostro de Theurgia

Com-

Commentario. Sed sive Angeli, sive aliud fuerint, objectum certe erant coloribus expressum, & a Chaldæis adoratum.

Jam vero, si Patrum ejusmodi auctoritate, ac testimonio, ante Statuarum usum solis coloribus, ac pictis imaginibus hominum mens sibi malum conciliaverat: si ante cælatos lapides, ac ligna, vel cujuscumque materiæ simulacra, pictæ modo colebantur Tabulæ, vel erant parietes Deorum imaginibus exornati, consequi videretur posse, Idololatriæ initia Pictoriæ esse arti asserenda: quod tanto minus alienum a veritate haberi posset, quanto universalis Traditio, & fama apud Platonem, Plinium, & Lucianum, ut vidimus, tam remotam tribuerit Picturæ antiquitatem. Nec ignoro tamen, haud omnes eam in opinionem descensuros, eos præsertim, qui hac ætate tot, tantasque ad ingenuarum historiam artium animadversiones eruditissimas scripsere. Verum, ut inficiari nemo potest, hodiernos artium Interpretes Scriptoribus antiquis in eleganti critice, earumdemque in cognitione artium præstare, ita quis hodiernam Librorum, ac monumentorum veterum inopiam cum copia Scriptorum, Imaginum, ac rerum conferet, quas Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Eusebius, & Epiphanius suis oculis videbant? Vel si oscitanter pretiosissima illa, quæ habebant præ manibus, versassent, plura eos nosse, & intelligere adhuc oportebat, respectu artium, consuetudinum, & Sacrorum Gentilium, quam nos perscrutari valeamus ad Plinii lectionem vigilantes, qui obiter, & occasione tantummodo colorum, atque marmorum, de

Pi-

Picturis & Statuis scripsit. At de hoc iterum fortasse: siquidem necesse non est, illud urgeamus, cultas revera prius fuisse imagines Deorum pictas, quam eorum Signa & Simulacra, quum illud consequi satis sit, numquam fore, ut laudati Patres ita cogitassent, nisi tum ætate adhuc illa, tum temporibus, quæ proxime saltem antecesserant, ethnici Deos suos coloribus expressos adorassent.

Quo id autem uberius confirmetur, nonnulla addemus Græcorum Patrum testimonia, ad cultum, quem ethnici illius adhuc ætatis Picturis exhibebant, pertinentia. Theophilus Antiochenus hæc ad Autolycum scribebat: *Quoniam igitur me, Amice, obtudisti inanibus sermonibus, Deos tuos venditans lapideos, & ligneos, ductos, & fusos, ET PICTOS &c.* ϗ γραπτούς. Divus Athanasius Libro contra Gentes de Idololatris sui quoque temporis hæc habebat verba: *Quandoquidem multi non modo prisci, SED NOSTRIS ETIAM TEMPORIBUS, ubi amisere quos carissimos habent, fratres, cognatos, uxores: multæ idem viduæ maritos exstinctos, quum omnibus constet, eos ex natura homines fuisse, istos tamen, inquam, istasque, ob ingentem luctum, desideriumque, ἀναζωγραφήσαντες FICTIS, DEPICTISQUE FIGURIS expressos inter Numina dedicaverunt. Posteri deinde elegantiam, artificiumque operis admirati, eosdem pro Diis habuere &c.* Gregorius Nazianzenus Oratione II. in Julianum ita ironice Apostatam alloquebatur: *Unum modo in tuis rebus est, quod venerationem mereatur, nimirum cultus ille, qui apud Ægyptios Nylo per Androgynos habebatur, & Isides, & Mendesii Dii,*

H &

& Apides, ceteræque omnes bestiæ, ex diversis generibus conflatæ, *QUAS CONFINGIS, ET PINGIS*, πλάττεις, ἢ γράφεις. Theodoretus denique Sermone III. qui est de Angelis, Diis, & Dæmonibus, eos insectatus PICTORES ethnicos, qui impura Jovis, & Veneris facinora pingebant, καὶ οἱ ζωγράφοι γράφουσι, ita prosequebatur: *Si inanes rerum fabulas a Poetis confictas asseritis, cur Statuarios, & Sculptores, PICTORESQUE apud vos esse patimini artificio suo falsitatem confirmantes? Cur ab his effictas Imagines tanto cultu afficitis?* εἰ τοίνυν ψευδεῖς μύθους φατὲ διαπλάσαι τοὺς ποιητάς, τί δήποτε τῶν ἀνδριαντοποιῶν καὶ ἀγαλματογλύφων καὶ ζωγράφων ἀνέχεσθε, κρατυνόντων τῇ τέχνῃ τὸ ψεῦδος; κ. τ. λ. Fuit hoc frequentissimum Patrum adversus ethnicos momentum, ea adorare solitos, quæ suis exornabant carminibus Poetæ, quæque nisi penicillo satis exprimi non poterant. Verum de hoc alias.

Nunc quippe satis erit duo ex Græcis Ecclesiasticis Scriptoribus addere Picturarum cultarum exempla, alterum ab Ethnicis, alterum ab Hæreticis illarum ætatum derivata. Eusebius Libro Demonstrationis Evangelicæ V. Capite 9. adparitiones describens Verbi antiquissimis factas Patriarchis, ac præcipue dum in Valle Mambre Abrahamo visus est, ita pergit: *Hodie quoque a vicinis, & in proximo habitantibus, quasi divinus colitur, & observatur is locus, honoris illorum gratia, qui Abrahæ in illo visi sunt; atque etiam nunc ibidem permanens Quercus conspicitur, ubi qui Abrahamo hospitio excepti sunt*, *IN PICTURA EXPRESSI CERNUNTUR*, ἐπὶ γραφῇ ἀνα-

κείμενοι, duo quidem utrinque, medius autem, tamquam excellentior, & qui reliquos anteiret. Picturam vero hanc, in qua Angeli erant coloribus expressi, ethnicos processu temporis superstitiose coluisse innuit Eusebius, haud adeo clare ut oportebat tamen, quia, illius caussa cultus, negligentiæ fuerat a Constantino postulatus, si Socrati credimus, Libro Historiæ Ecclesiasticæ I. Capite 18. scribenti. *Constantinus Ecclesiam ad Quercum Mambre, sub qua Angelos hospitio exceptos ab Abrahamo divina testantur Oracula, construxit. Quum enim comperisset ARAS SUB EA QUERCU POSITAS ESSE, ET GENTILIUM RITU ILLIC SACRIFICIA PERAGI,* μαθὼν γὰρ ὁ βασιλεὺς βωμοὺς ὑπὸ τῇ δρυῒ ἱδρῦσθαι, καὶ θυσίας ἑλληνικὰς πληροῦσθαι ἐπ' αὐτῷ, *Eusebium quidem Cæsariensem Episcopum graviter per literas reprehendit: aram vero ipsam disturbari, & Ecclesiam juxta Quercum fabricari jussit.* Fusius id narrat Sozomenus Libro Historiæ Ecclesiasticæ II. Capite 4. Terebintho siquidem descripta, ad quam Angeli olim Abrahamo apparuerant, quotannis festum maxima omnium hominum frequentia celebratum illic fuisse subdit: *Judæorum quidem, propterea quod Abrahamum auctorem gentis suæ jactant, GENTILIUM VERO, EO QUOD ANGELI ILLUC ADVENERINT,* Ἕλλησι δὲ, διὰ τὴν ἐπιδημίαν τῶν ἀγγέλων, *Christianorum denique, eoquod tunc temporis pio Viro apparuerit is, qui diu postea ad salutem generis humani natus ex Virgine, cunctis se manifestum exhibuit. Porro singuli pro cultu & religione sua hunc locum venerantur: alii preces omnium moderatori Deo fundentes,*

 alii

alii Angelos invocantes, & aut vinum libantes, aut thus accendentes, aut bovem, vel hircum, vel ovem, gallumve immolantes. Dum hæc eo modo a Gentilibus solemni ritu, atque hilaritate gererentur, Constantinus Palæstinæ Episcopos non mediocriter objurgavit; quod officium suum neglexissent, & locum sanctissimum impuris libationibus, & sacrificiis inquinari passi essent. Eas igitur libationes, eaque sacrificia celebrabant ethnici ad Quercum, in qua Angeli depicti erant, quorum propterea effigies coloribus expressæ, Eusebio, Socrate, ac Sozomeno testibus, erant superstitioso ritu adoratæ.

Exemplum aliud suppeditat nobis Epiphanius Hæresi XXVII. his verbis *Habent porro Carpocratiani DEPICTAS COLORIBUS IMAGINES, quidam etiam aureas, vel ex alia materia factas, quas esse Jesu effigies affirmant, quas tamen veluti occultant; sed imagines Philosophorum, ut Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, aliorumque, quibus eas, quas dixi, Christi effigies miscent, erigunt, suspenduntque, ac simul omnes ADORANT, GENTILIUMQUE RITUS ad eas instituunt. Collocatis enim imaginibus istis, quæ AB ETHNICIS fieri solent, deinceps perficiunt.* Erant Hæretici illi, quemadmodum reliqui Gnostici, ut heic ait Epiphanius, solo tantum nomine Christiani, vel, ut alias nos in Opusculis ostendimus, ethnici valde magis, quam Christiani, vel homines saltem, ut phrasi utar Apuleii, qui nullam, vel dubiam spem melioris vitæ omittere volebant, sed cujuscunque Dei potius adire veniam conabantur; profanas propterea imagines ethnico plane ritu adorabant, equidem coloribus expressas, quippe eas *εἰκόνας*

ἐζω-

εἰζωγραφημένους διὰ χρωμάτων expresse vocat Epiphanius. Quid igitur certum magis, quo ethnicos depictas suorum Numinum imagines coluisse consequamur?

Accedant vero Græcis Latini Ecclesiastici Scriptores, ac eorum agmen ducat Tertullianus, Libro I. de Idololatria Capite 2. scribens: *Exinde jam caput facta est Idololatriæ ARS OMNIS, QUÆ IDOLUM QUOQUO MODO EDIT. Neque enim interest, an plastes effingat, an cælator exsculpat, an phrygio detexat, quia nec de materia refert, an gypso, AN COLORIBUS, an lapide, an ære, an argento formetur Idolum.* Quantum, bone Deus! Tertullianea hæc Idoli definitio, diversa est a ratione concipiendi, & a definitione, quam sibi præformavere Photiani, Idolum scilicet, illud modo esse, quod sculptum est, habetque viri, ac mulieris similitudinem, & stat cruribus suis separatum: imaginem vero illam esse, cujus tuis digitis haud valeas divisim nec manus, nec pedes, nec aliud ullum membrum capere! Attamen Tertullianus idololatriæ tempore florebat, totus in ea erat oppugnanda, verbaque adversus idololatras, & ad idololatras faciebat; ac in Idoli notione tradenda cum Patribus omnino conveniebat. Jam vero, Capite illius Operis III. ita pergebat hic Auctor: *Artifices Statuarum, & Imaginum, & omnis generis Simulacrorum, Diabolus seculo intulit.* Et magis expresse Capite IV. de Pictoria, ac Statuaria disserens, *toto mundo*, inquiebat, *ejusmodi artibus interdixit Servis Dei*, & adversus Hermogenem disputans, Capite 1. ita de tali homine: *Pingit illicite, nubit assidue; legem Dei in libi-*

libidinem defendit, in artem contemnit: bis falsarius, & cauterio, & stilo. Ad quæ Rigaltius animadvertit, notatum heic a Septimio Hermogenem, quia adhuc post susceptum Christi nomen imagines PINGERET Deorum; dictumque falsarium cauterio suo proprio, quod discolores inureret ceras falsis Diis exprimendis, sive quia ceris pingeret, picturamque inureret cauterio: quod picturæ genus, Encaustica, sive Encaustum diceretur. Ideo igitur, juxta Tertullianum, quemadmodum juxta alios Patres, Pictoria ac Statuaria Christianis erant eo tempore interdictæ, quia Deorum imagines, vel a nostris depictas, ethnici adorabant: quod magis magisque evincit Tertullianus in Libro de Idololatria Capite 6. ubi Christianum illarum imaginum Artificem ita se se excusantem inducit: *Facio, ait quidam, sed non colo.* Cui tamen ita statim Tertullianus respondet: *IMO TU COLIS, QUI FACIS, UT COLI POSSINT.* Nonne tum Artificis, sive Christiani Pictoris excusatio, tum responsio Septimii, evidenter manifestant, pictas Deorum imagines fuisse a Gentilibus ætate illa adoratas? Nonne manifestant, non quidem artes illas, sed artium tunc temporis abusum, & periculum fuisse nostris interdictum? Nam ita rursus VIII. Capite Septimius. *Si ita necessitas exhibitionis obtenditur, habent* (Artifices) *& alias species, quæ sine exhorbitatione disciplinæ, idest, sine IDOLI confictura, opem victus præstent. Scit albarius tector & tecta sarcire, & tectoria inducere, & cisternam liare, & cymatia distendere, & multa alia ornamenta, præter Simulacra parietibus incrispare. Scit & PICTOR, & marmorarius,*

rius, & ærarius, & quicumque cælator, latitudines suas, utique multo faciliores. Nam qui SIGNUM DESCRIBIT, quanto facilius abacum linit? Qui de tilia Martem exculpit, quanto citius armarium compingit? Horum rationem omnium subjicit his verbis Septimius: *Graviora delicta quæque, pro magnitudine periculi diligentiam extendunt observationis, ut non ab his tantum abscedamus, sed & ab iis, per quæ fiunt. Licet enim ab aliis fiant, non interest, si per me.* Quemadmodum itaque per Statuarios Christianos fieri poterat, ut falsa Numina in Simulacris colerentur a Gentilibus: ita per Christianos etiam Pictores fieri posse timens Tertullianus, ne ethnici pictos ab illis Deos adorarent, certissimo argumento est, falsa Numina coloribus tantum & in Tabulis expressa, a Gentilibus æque consuevisse adorari.

Aliud nobis suppeditat ad inferendi fundamentum hic Scriptor, in illis, quæ Capite Apologetici XVI. profert, inquiens: *Sed nova jam Dei nostri in ista proxime Civitate editio publicata est, ex quo quidam frustrandis bestiis mercenarius noxius PICTURAM proposuit cum ejusmodi Inscriptione. DEUS CHRISTIANORUM ONOKOITIS. Is erat auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans, & togatus. Risimus & nomen, & formam SED ILLI DEBUERANT ADORARE STATIM biforme Numen, quia & canino, & leonino capite commistos, & de capro & de ariete cornutos, & a lumbis hircos, & a cruribus serpentes, & a planta vel tergo alites Deos receperunt.* Iisdem prope verbis Libro I. ad Nationes Cap. 14. eandem describens *PICTURAM* Tertullianus, *LI-*

BEN-

BENTER, inquiebat, *EXCIPIAM STUDIO RETORQUENDI*. Septimi Interpretes ex Mythographis alludere heic ipsum ajunt ad Ægyptiorum formas, & figuras Numinum, Apim videlicet, ceterosque horrificos,

Quos prodigialia cogunt
Credere monstra Deos.

Recte sane: sed in rem nostram, quam belle facit studium illud RETORQUENDI PICTURAM in Gentiles, quo gloriabatur Tertullianus, & ironica illa invitatio, UT BIFORMIS NUMINIS PICTURAM GENTILES ADORARENT. Num enim scribere, immo & cogitare ita potuisset, si ethnici sola coluissent Simulacra, numquam vero Numina in Tabulis depicta, vel solis coloribus expressa?

Evidentius tamen testimonium eo vix inveniri potest, quod ipse præbet Septimius Capite XVI. Libri de Idololatria his verbis: *Alii plane humanius, & verisimilius, Solem credunt Deum nostrum. Ad Persas si forte deputabimur, licet Solem non IN LINTEO DEPICTUM adoremus, habemus ipsum ubique in suo clypeo.* Equidem ignotum prope nemini, cultum mere civilem respectu Solis antiquissimis Persis, Magisque afferere conatum Thomam Hydium in sua veterum Persarum, Parthorumque, ac Medorum Religionis Historia. Verum præterquamquod innumeri docti Viri hypothesi ejusmodi contradixere, sacrumque Soli cultum a Persis illis oblatum ostenderunt, præsertim Zacharias Beniamin Pocarius in Dissertatione de Simula-

mulacris Solaribus, quæ habetur Tomo XXIII. Thefauri Antiquitatum Sacrarum Blasii Ugolini, nonne Hydius ipse Capite Operis primo candide fatetur, Persas inter illos antiquissimos numeratas fuisse Sectas plusquam LXX. & Orthodoxos, ut inquit, alios, alios vero tunc etiam temporis Hæreticos fuisse? Nonne Capite Operis IV. rursus fatetur Parthos, Persarum Successores, Persasque & ipsos a Latinis frequenter appellatos, a majorum suorum cultus puritate recessisse, symbolicas propterea sibi imagines cudendas constituisse? Quantum revera, obsecro, distabant in temporis ratione Persæ, de quibus agit Hydius, a Persis, de quibus loquebatur Tertullianus! Itaque literaliter ac vere, deque sacro erga Picturas Solis cultu, ejus verba intelligenda duxere Viri præstantissimi, eaque ita effert Libro Originum, & Antiquitatum Christianarum I. Capite III. §. 4. Mamachius noster: *Non coli igitur a nobis IN LINTEO DEPICTUM, ut a Persis, Solem; esse eum habeamus ubique in suo clypeo.* Sigebertus Havercampus ad ea Septimii verba scripserat: *In linteo depictum, non tantum de Vexillis Persarum accipio, sed de quibuscumque Tabulis, & lino, in quibus NUMEN ILLUD DEPICTUM intra Templi sui mœnia ab illis colebatur.* Ante Havercampum Gerardus Johannes Vossius Libro IX. Capite 9. de Physiologia Christiana, ac Theologia Gentili scripserat: *Nec quia Persæ Mithram non effingerent forma humana, eo nullam habebant figuram symbolicam: nam IN LINTEO eum colaere.* Ut vero ad idololatras Romani Imperii revertamur, Lactantius Libro Divinarum Institutio-

 num

num II. de Ægyptiorum Idololatria differens, *Portentosissimas*, inquiebat, *animalium FIGURAS, quas colerent, commenti sunt*: Quod repetit Libro V. eisdem terminis: *Qui turpissimas bestiarum, & pecudum FIGURAS colunt*: Illud autem *figuræ* nomen, quamvis generale sit, videt quisque, quam proprius pictas, quam sculptas imagines significet, vel saltem eas non excludat. Libro ejusdem Operis II. ita eos, qui cælestes modo Spiritus se adorare jactitabant, alloquebatur: *Cur igitur oculos in cælum non tollitis, & advocatis Deorum nominibus in aperto sacrificia celebratis? Cur AD PARIETES, & ligna, & lapides potissimum, quam illo spectatis, ubi eos esse creditis?* Agit de sacrificiis, ac precibus Lactantius, quas ante suorum Numinum imagines ethnici faciebant. Ut igitur ad Statuas, atque Simulacra, ita æque AD PARIETES, preces illi, ac sacrificia dum offerrent, respiciebant, ad pictas videlicet in parietibus Numinum effigies, atque ad eorum expressas ligneis in Tabulis figuras.

Præstantissima in rem nostram Prudentii carmina opportuniore in loco exscribemus; haud heic tamen omittentes Varis, minus quidem elegantis, sed ætate viventis, qua adhuc vigebat idololatria, testimonium, Commodiani scilicet in Instructione sua adversus Gentium Deos ita differentis:

Mercurius vester fiat cum sarabollo DEPICTUS,
Et galeam, aut pileum pinnatus, & cetera nudus.
Rem video miram, Deum cum sacello volare.
Currite paupercule cum gremio quo volat ille;

Ut

Ut sacculum effundat, vos tunc estote parati,
Respicite PICTUM, quoniam vobis sic ab alto
Jactabit nummos, vos tunc salvete securi.
Vane non insanis? COLERE DEOS PICTOS IN AXE?
Vivere si nescis, cum bestiis perge morari,

Posterioris hujus carminis hanc in Adnotationibus suis interpretationem adfert Rigaltius: si non sapis Christum æternæ vitæ Auctorem, perge morari cum bestiis, quo alludit Vates ad ΖΩΔΙΑ, quæ in Zodiaco pingi solent, arietem, taurum, leonem &c. De ejusmodi pictis in Zodiaco signis, & figuris, ceu divinæ munera naturæ significantibus, ac eorundem emblematibus apud Ægyptios, abque iisdem summa religione cultis, Dissertationem scripsit Schmidius, Londinensibus Interpretibus antiquarum rerum consecratam.



CAPUT V.

Eos generatim Populos, tum qui imaginum cultum rejecerunt, tum qui eum admisere, eandem pictarum imaginum, ac sculptarum rationem habuisse.

NON omnes Idololatræ imaginibus sive sculptis, sive pictis, usi sunt ad suos Deos repræsentandos & colendos: falsum adeo est, totam Idololatriæ rationem constitutam esse in cultu imaginis habentis similitudinem viventis. Fuere namque, qui non alias sibi proposuere Deorum formas, quam informes lapides, hastas, stipites, similia: quod ab antiquissimis factum Gentibus universi tradunt Scriptores. Arnobius Libro contra Gentes VI. *Videtis*, inquiebat, *temporibus priscis Persas fluvios coluisse, memoralia ut indicant scripta, informem Arabes lapidem, acinacem Scythiæ nationes, ramum pro Cynthia Thespios Lignum Caris pro Diana colebatur. Videtis Pessinuntios silicem pro Deûm Matre: pro Marte Romanos hastam, puteum Samos pro Junone adorasse.* Idem testatur Lactantius Libro Divinarum Institutionum I. idemque ante Arnobium, & Lactantium nos docuerat Clemens Alexandrinus in sua Admonitione ad Gentes. Sic Pausanias in Achaicis *Vetustiora secula, ipsique adeo Græci universi, RUDES LAPIDES, ac si Deorum Simulacra essent, honoribus divinis prosequuti sunt.* τιμὰς θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον λίθοι. Maximus Tyrius Sermone XXXVI. *Procera Quercus*

eus Celtis erat pro Jovis Simulacro. Ἄγαλμα δὲ Διὸς κελτικὸν ὑψηλὴ Δρῦς. Abest vero adeo, ut ejusmodi Idololatriæ genus, minus quam cultum Statuarum oderit Deus, ut Levitici XXVI., dum Sculptilum cultum populo interdixit suo, dixerit æque: *NEC INSIGNEM LAPIDEM ponetis in terra vestra, ut adoretis eum*: quod sane præceptum ad ejusmodi a vetustissimis cultos Gentibus stipites, ac lapides referendum esse docent optimi Interpretes, ut legere præsertim est apud Seldenum Libro II. de Jure Naturæ, & Gentium juxta Disciplinam Hebræorum Capite 6. Lapides namque in Templis Ægyptiorum erectos, in quibus sacra sculpta erant animalia, post Clementem Alexandrinum Libro Stromatum I. monent Ursinus, Bruckerus, alii. Jamque superius satis diximus de cujuscunque *Amuletism* idololatria a Numine prohibita. Rectissime Tertullianus Libro de Idololatria Capite 3. *Idolum aliquando retro non erat. Priusquam hujus monstri Artifices ebulissent, sola Templa, & vacuæ sedes erant, sicut in hodiernum quibusdam locis vetustatis vestigia permanent. TAMEN IDOLOLATRIA AGEBATUR, non in illo nomine, sed in isto opere.* Qui dubitaret, an sine imaginibus potuerint Dii adorari, legere is Taciti oporteret Librum de Moribus Germanorum, qui lucos, & nemora consecrabant, Deorumque appellabant nominibus secretum illud, quod sola reverentia videbant; ne alios heic ethnicorum errores, ac ritus memoremus, quibus aliæ præter Sabeismum, Amuletismum, & Theosynodiam, idololatriæ species comparerent.

Ea

Ea vero quoque tempestate, qua Nationes aliquæ Simulacra, & Imagines quascunque Deorum jam colebant, alii erant populi idololatræ, qui Artificibus imaginum carere dicebantur. Bardesanes siquidem apud Eusebium Libro Præparationis Evangelicæ VI. Capite 10. adversus Astrologiæ deditos ita differebat: *Jam Mercurium ferunt suis in Ædibus cum Venere congredientem*, *FICTORES, ET PICTORES*, πλάστας, ϗ ζωγράφους, *& Nummularios; at in Veneris ædibus, Unguentarios, Phonascos, Histriones efficere. Atqui apud Tainos, & Saracenos, ac tam in superiore Libya, quam apud Mauros, nec non apud Nomadas illos, qui Oceani ostium accolunt, simulque tam in exteriore Germania, quam in Sarmatia superiore, Schytia quoque, & ceteris omnibus, quæ ad Septentrionales Ponti partes habitant Gentibus: insuper tota passim Alania, Otene, Saunia, & aurea Chersoneso, neque Nummularium ullum videas, NEQUE FICTOREM, NEQUE PICTOREM*, ὐ πλάστην, ὐ ζωγράφον, *neque Architectum, neque Geometram, neque Phonascum, neque Histrionem, sed ambitu illo terrarum universo vis ista Mercurii, Venerisque nulla est.* Omissa heic vi disputationis Bardesanis, insanos illos crudele fatum talibus ineptiis vindicantes egregie oppugnantis, animadvertas velim, ipsum Sculptores a Pictoribus non separare: ubi Sculptores erant, ibi & Pictores ponere: ubi hi non erant, nec illos fuisse contestari: quod eorum cogitata confirmare videretur, qui harum naturam artium, nexumque respicientes, adserunt, Pictoriam, & Statuariam inter se similes adeo esse, arctoque necessitudinis vinculo ita invi-

invicem conjunctas, ut uno eodemque partu editæ censendæ sint: ambas naturam sibi ad imitandum proponere, lineamenta corporum, statum, & figuram ambas exprimere ac referre: ambas denique iisdem fatis fecundis, vel adversis perpetuo usas, nec umquam altera jacente & ingloria, alteram floruisse.

Nec dubitandum vero, inopiam illam Artificum, ceterarumque artium, in Barbaris Nationibus, ab earum misera conditione, ac statu infelici esse repetendam: sequuntur enim ingenuæ Artes ac Scientiæ non tam populorum ingenium, quam Imperiorum fortunam, ac felicitatem, adeo ut vel miserabilem, vel mediocrem regionum sortem dixeris, in quibus Artes ac Scientiæ, vel jacent prorsus, vel intra mediocritatis cancellos continentur. Fortasse, allegoricis velut quibusdam Mercurii cum Venere congressionibus nil aliud illi, quos refutabat Bardesanes, significare voluerunt, quam ingenuas artes cælo indigere fulgido & sereno; quum certum tandem sit, eas in felicioribus modo Orientis partibus, Ægyptoque, Græcia, & pulchriore Italia, scilicet quæ trans Apenninum est, vergitque in meridiem, & orientem Solem, ad summam olim pervenisse perfectionem, dignitatem, atque gloriam. Quid enim mihi STATUARIOS, PICTORESQUE postulas in Scythia, vel in Ponto, vel in ceteris non dixerim barbaris regionibus, sed in tot etiam aliis, non adhuc quidem barbaris, sed quibus nunquam nisi fulminatuius compareт Sol? Sed harum de veteri fortuna Artium suo dicemus loco. Illud quippe in præsens ostendendum modo nobis est, eos generatim, quos novimus,

vimus, populos, exceptis Græcis recentioribus, imaginum cultum sive rejiciendum, sive admittendum illi duxerint, attamen eandem semper habuisse pictarum, sculptarumque imaginum rationem.

Et vero, si Lucianum, Strabonem, Laertium, antiquissimis agentes de populis consulimus, sique monumenta versamus omnia, quæ Britannos, Gallos, ac Germanos vetustissimos respiciunt, quæque prostant apud tot nuperos Scriptores, qui earum de religione Gentium ex purioribus antiquitatis fontibus disseruere, inveniemus, eos, non Statuas modo, & Simulacra, sed pictas etiam imagines e sacris suis olim ablegasse, nec ullum posuisse in repræsentandis Diis diversa inter imaginum genera discrimen: quemadmodum iis omnibus, qui Mahumedem sequuntur, tam pictæ Tabulæ, quam fictæ, sculptæque imagines in religionis usu & cultu vetitæ censentur; nec eos magis a nostris abhorrere Sacris ob Latinorum Statuas, quam ob Tabulas Græcorum pictas, a pluribus observatum est. Ex opposito, quia apud Ægyptios, Chaldæosque, Etruscos, Græcos & Romanos, Statuas ad Religionis usum cito admissas invenimus, ita & imagines Deorum coloribus expressas. Statim vero atque Britanni, Germanique, & Galli, vel æmulatione, vel vi ac imperio Romanorum, sacra admisere Simulacra, formas æque ac figuras Deorum pictas admiserunt: quod ex Historia, ac Historicorum ex animadversionibus, certisque constat monumentis: non secus atque Hebræi, divinæ dum tenaces Legis & cultus Mosaici fuere, neque sculptas, neque pictas effigies coluerunt: divinæ

vinæ vero Legis obliti pictas Numinum imagines haud minus, quam Deorum Simulacra adoravere. Denique apud hodiernos Orientales Idololatras utrumque obtinere colique imaginum genus, Sculptilia nempe & Picturas, innumeris ab Auctoribus proditum, ac vulgatum est.

Hæc omnia manifesta erunt si in illarum Scriptores rerum, & in illud quod usurpaverunt scribendi genus & genium, & modum, animum intendimus. Pulcherrimus est Strabonis locus Libro XVI. de Moysis doctrina ita tradens: *Affirmabat enim, docebatque, Ægyptios nec recte sentire, qui bestiarum, ac pecorum imagines Deo tribuerent, itemque Afros, & Græcos, qui Diis hominum figuram affingerent* ἀνθρωπομόρφους τυποῦντες. *Id vero solum esse Deum, quod nos & terram, & mare continet, quod cælum & mundum, & rerum omnium naturam appellamus, cujus profecto imaginem nemo sanæ mentis alicujus earum rerum, quæ penes nos sunt, similem audeat effingere. Proinde OMNI IMAGINUM EFFICTIONE repudiata, dignum et Templum, ac delubrum constituendum, AC SINE ALIQUA FIGURA colendum.* τέμενος ἀφορίσαντας καὶ σηκὸν τιμᾷν ἕδους χωρίς. Philo autem in sua ad Cajum Legatione his utebatur verbis: *Hactenus pro patria deprecatus sum: postremas pro Templo preces adhibeo. Hoc Templum,* (Hierosolymitanum) *Caii Domine, jam inde ab initio nullam umquam admisit manufactum effigiem, quum sit Deo domicilium. PICTORUM ENIM, AC STATUARIORUM OPERA* χειρῶν μὲν γὰρ καὶ πλαστικῶν ἔργα *sunt sensibilium Deorum imagines. illum autem invisibilem*

PINGERE, VEL FINGERE. εἰκονογραφεῖν ἢ διαπλάττειν *nefas duxerunt Majores nostri*: Nonne vides nullum heic discrimen positum imagines inter sculptas, quas colere, adorareque Judæi vetabantur, & imagines solis coloribus expressas? Quid Plutarchus in Vita Numæ Pompilii? Hæc profecto: *Quæ de immortalium Deorum imaginibus Numa statuit, quamsimillima prorsus sunt Pythagoræ decretis. Nam primum Principium ille, neque sensui, nec perturbationibus subjectum, sed mentem invisibilem, & increatam esse censuit. Hic autem Romanos prohibuit existimare imaginem Dei, aut hominis speciem, aut animalis habere formam. Nec fuit apud eos* NEQUE PICTA, NEQUE SCULPTA *Dei prius species*, οὐδ᾽ ἦν παρ᾽ αὐτοῖς οὔτε γραπτὸν, οὔτε πλαστὸν εἶδος Θεοῦ πρότερον, *sed prioribus centum & septuaginta annis Templa quidem ædificabant, sacraque erigebant tuguria, imaginem vero nullam corpoream faciebant, perinde atque nefas esset deterioribus meliora assimilare, neque aliter quam intelligentia percipi Deus possit*. Eadem utitur phrasi Clemens Alexandrinus Libro Stromatum I. scribens: *Numa Rex Romanorum prohibuit ipsis, ne homini, aut animali similem Dei facerent imaginem. Quum itaque primis centum & septuaginta annis Templa ædificarent*, NULLAM IMAGINEM NEQUE EFFICTAM, NEQUE DEPICTAM FECERE. ἄγαλμα οὐδὲν οὔτε πλαστὸν, οὔτε μὴν γραπτὸν ἐποιήσαντο. Exscripsit Clementem Eusebius Libro Præparationis Evangelicæ IX. Capite 6. his verbis: *Numa Romanorum Rex Romanos a Dei Simulacro vel in hominis, vel in cujusquam animantis speciem fingendo avertit*,

pro-

proindeque totis saltem primis septuaginta supra centum annis, Templa quidem ædificarunt, sed nullam omnino NEQUE FICTAM, NEQUE PICTAM *imaginem intulerunt.* ἄγαλμα οὐδὲν οὔτε πλαστόν, οὔτε μὴν γραπτὸν ἐποιήσαντο. Zonaras Tomo II. p. 10. eadem usus est dicendi ratione: *Romanis vetuere hominis, vel animalis forma imaginem Dei formare: itaque apud eos* οὔτε γραπτόν, οὔτε πλαστὸν εἶδος NEQUE PICTA, NEQUE SCULPTA *Dei imago fuit per centum septuaginta annos; quumque Templa haberent, nulla fuit formata effigies.* Ex ejusmodi Scriptorum orationis sensu, ac serie facile quisque intelliget, agere eos de cultu talium imaginum Romanis olim interdicto, conferebant quippe primorum Romanorum ritus ac mores cum moribus ac ritibus posteriorum: quare si priores, antiquissimoque ea celebraverunt de caussa, quod neque fictas coluerint imagines Deorum, neque coloribus expressas, sequatur necesse est, posteriores ethnicos Romanis legibus subjectos, quos prioribus opponunt, in sculptas, ita pictas etiam Deorum imagines fuisse veneratos: quod equidem confirmat illustris Winckelmannus in Historia Artium apud Veteres Tomo II. Capite V. Sectione I. §. 4. animadvertens, vel illa Numæ ætate, apud Romanos Statuas, Imaginesque Numinum fuisse, quas recenset; Jovis præsertim Olympici, jussu Tarquinii, effictam; nullas tamen in Templis collocatas, & erectas; quare non efformationem imaginum Deorum fuisse Numæ legibus prohibitam; sed earum, sive Sculptura, sive coloribus expressarum cultum satius interdictum fuisse consequamur.

nus ne auferatur? Quid Tarentinos, ne Europam in tauro sedentem amittant, ut Satyrum, qui apud illos in Æde Vestæ est; ut cetera? Quid Thespienses, ut Cupidinis Signum, propter quod unum visuntur Thespiæ? Quid Cnidios, ut Venerem marmoream? Quid ut PICTAM Coos? Quid Ephesios ut Alexandrum? Quid Cyzicenos ut Ajacem, aut Medeam? Quid Rhodios ut Jalysum? Quid Athenienses ut ex marmore Jacchum, aut PARALUM PICTUM, aut ex ære myronis bucculam? Nonne data opera, & consilio videtur Tullius sculptis cum imaginibus imagines pictas heic semper conjunxisse; ac pretiosiora Artium opera enumerans, eumdem nobis ob oculos ponere hominum illius temporis erga pictas Numinum, ac Heroum Tabulas, ac erga effigies sculptas, amorem non dicam, judicium, æstimationem, ac studium, sed etiam curam, pietatem, & religionem? Nonne eodem retinere affectu marmoreas sua Veneris Simulacra optabant Rhegini, & Cnidii, quo suam VENEREM DEPICTAM Coii? Haud major utique Thespiensium erat superstitio erga Cupidinis Signum, ac Rhodiorum erga JALYSUM PICTUM, quem nonnulli quidem Bacchi imaginem pictam, alii pictam effigiem Herois conditoris Urbis, vel Dei ipsius Tutelaris fuisse arbitrantur. Hanc confirmat opinionem Carolus Dati in Vita Protogenis consulto animadvertens, Tullium heic eam conferre Tabulam cum Tabula Veneris apud Coos cultæ: pulcherrimum propterea juvenem, cum matre sæva & pulcherrima Cupidinum. Imaginem Jalysi, artis veluti miraculum, describit in Vita Demetrii Plutarchus, qui Rho-

Rhodiorum quoque pro tam insigni opere ad hostem & victorem Demetrium preces non omittit. Pergit vero Romanus Orator : *Quid tum? mediocri ne tandem dolore eos affectos esse arbitramini? Non ita est, Judices: primum quod OMNES RELIGIONE MOVENTUR, ut Deos patrios, quos a Majoribus acceperant, COLENDOS sibi diligenter, & retinendos arbitrentur; deinde hic ornatus, hæc opera atque artificia, Signa, TABULÆ PICTÆ, Græcos homines nimio opere delectant.* Haud minus igitur in pictis Tabulis, quam in Statuis, colendos a Majoribus acceperant ethnici Deos suos; illosque quemadmodum in Signis atque Simulacris, ita in Picturis illis habendos, contemplandos, æstimandosque, & retinendos sibi patrio ritu, more, ac studio, patriaque religione exoptabant.

Vel heroicis temporibus utrumque imaginum genus usurpatum diceres, consecratum, adoratum, si Porphyrium audias in Libro de Abstinentia ab Animalibus, de populo ac moribus Cretensium scribentem, & hæc Empedoclis adferentem carmina:

Non Deus armorum Mars illis, nullaque bella,
Nec Neptunus, aut Jupiter, aut Saturnus,
Sed Regina Venus,

Quæ est Amicitia;

Quam SACRIS STATUIS, PICTISQUE ANIMALIBUS, olim
Placabant,

Tὴν

Τὴν δήγ' εὐσεβέεσσιν ἀγάλμασιν ἱλάσκονται,
Γραπτοῖς τε ζώοισι.

Ceterum ea maxime tempora respicienda sunt, quibus Pictoria, ac Statuaria ita apud Græcos floruere, ut quum plures prope simul habuerint utraque in arte præstantissimos Artifices, familiare utriusque linguæ Scriptoribus evaserit dicendi quoddam genus, quo fere nunquam claros nominaverint Sculptores, quin eos celebrioribus cum Pictoribus conjunxerint; quemadmodum Horatius Libro Carminum IV. Ode 8. de imaginibus dicebat,

Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas:
Hic SAXO, liquidis ille COLORIBUS
Solers nunc hominem ponere, nunc Deum.

Gregorius ipse Nazianzenus Oratione XXXIV. scribebat: *Quinam Phidiæ & Zeuxidos, & Polygnotæ, Parrhasii etiam, & Aglaophontes, qui incredibili quadam elegantia formarum PINGENDARUM, ET SCULPENDARUM periti claruerunt?* κάλλει μεθ' ὑπερβολῆς γράφειν καὶ πλάττειν εἰδότες, qua multo magis vetustiores utebantur Scriptores phrasi in memorandis imaginibus Deorum. Sic Herodotus in Euterpe, γράφουσι δὲ καὶ γλύφουσι, *ET PICTORES PINGUNT, ET SCULPUNT STATUARII Panos effigiem &c.* Lucianus in Cynico hunc ita loquentem inducit: *Neque Græcorum solum. sed Barbarorum etiam Templa circumspicias, utrum ipsi Dii, ut ego, comati barbatique sint; an, quemadmodum vos, rasi FINGUNTUR,*

gines Æsculapii pictas, æque ac sculptas, in Templis erectas, consecratas, & cultui expositas fuisse; verum etiam tum in prima imaginum Deorum efformatione, tum in renovatione, mutationeque earumdem, nil a Sculptoribus excogitatum, perfectumque fuisse, quin Pictores in suis Deorum imaginibus easdem non fuerint formas, & species, habitusque & ornatus, statim æmulati: quod non artis tantum progressui, quam Sacrorum Legibus asserendum videretur.

Nec inficiabor vero, haud omnia heic adducta testimonia ad imaginum pictarum cultum clare ac proxime referri, siquidem in eorum pluribus, de formis generatim pictis, sculptisque dicitur Deorum, quas propterea non statim consequi fas est, fuisse adoratas. Verum, ut in præsens nobis tantum mens est evincere, Gentes omnes, quæ sive Deorum imagines admiserunt, sive rejecere, eandem habuisse hac in re utriusque Artis rationem, ac utriusque imaginum generis eandem fuisse alicubi reverentiam, alibi vero mutatam eodem tempore formam, speciem, & repræsentationem: quæ omnia Lectoribus idoneam cogitandi artem, rectumque rerum ejusmodi sensum, ut ita dixerim, habentibus, utrarumque cultum imaginum, ubi receptæ fuerant, ostendunt: quod nos tandem expressioribus testimoniis evincemus: accedit, aliqua esse veterum Scriptorum loca, quæ vel meditatione aliqua, vel cognitione nonnullorum morum, ac rituum Gentilium considerata, & cum illis conjuncta, eum suppeditant menti imaginum etiam pictarum cultum, quem obiter lecta, primaque spe-

cie non offerent. Plutarchus, ut exemplo utar, Luculli in Vita, hæc de Urbibus Asiæ narrat: *Has Fœneratores, & Publicani a se conculcatas usque adeo dilacerabant, ut privatim ingenui liberi, filiæque virgines, publice vero donaria*, *DEORUMQUE PICTURÆ, AC STATUÆ venderentur*. δημοσίᾳ δ' ἀναθήματα, γραφὰς, ἱερῶν ἀνδριάντας, ἀναγκαζομένων. Miseram heic luget Plutarchus illarum Urbium conditionem, atrocemque adeo ostentare vult Fœneratorum agendi in illas rationem, ut coactæ illæ fuerint, publice ea vendere, quæ ipsis erant sacratissima, Deorum scilicet STATUAS, ET PICTURAS. Ut in Templis erant donaria, ita & Statuæ, & Picturæ, & ut Statuæ ab Asiæ incolis adoratæ erant, cur non obsecro Picturæ? Idem Auctor in Vita Fabii Maximi, de Tarentinis ab ipso captis, superatisque disserens, ac miserabile Gentis excidium describens, inquit: *Urbem exercitus diripuit, & quum agerentur, ferrenturque omnia, traditur interroganti Scribæ: quid de Diis fieri vellet? TABULAS, ET SIGNA significanti: respondisse Fabius: Deos iratos Tarentinis relinquamus.* λέγεται τὸν γραμματέα πυθέσθαι τοῦ Φαβίου περὶ τῶν θεῶν τί κελεύει; τὰς γραφὰς οὕτω προσαγορεύσαντα καὶ τοὺς ἀνδριάντας. τὸν οὖν Φάβιον εἰπεῖν, ἀπολείπωμεν τοὺς θεοὺς Ταραντίνοις κεχολωμένους. Qui ad Romanam Tutelarium Deorum in oppugnationibus Urbium evocationem, de qua nos Libellum olim scripsimus, non respicit, vix profecto de Picturis cultis hoc loco suspicatur. Qui tamen haud ignorat, tutelares urbium obsessarum Deos ante extremam oppugnationem a Romanis evocari solitos fuisse, hunc

IRA-

IRATOS adversus jam protectam urbem, ac gentem, inde discedere existimatos, Romam profecturos, omnia non humana tantum, sed divina quoque, pro barbaro ac inhumano aetatum illarum belli jure, Victorum facta, sacra omnia, ipsasque magis cultorum devicta in urbe Numinum imagines inde ereptas, ac in urbem terrarum dominam delatas; haec, inquam, qui minime ignorat, ex militari voce Fabii: *Relinquamus Tarentinis suos Deos iratos*, de Simulacris, ac Picturis Tutelarium Tarenti Numinum prolata, illico consequitur, quemadmodum illa Simulacra, ita Pictutas etiam Numinum Tarentinorum illas, fuisse publico antea cultu ab illis adoratas.

Erat vero olim in Graeciae populis, ut Romae postea, & nunc apud nos, alter populus, scilicet Philosophorum, quorum erat gloria, suisque semper, contra populi mentem, aliquando etiam contra communem sensum, cogitare. Prudentiores quemadmodum Plato, Aristoteles, Plutarchus &c. Deorum de imaginibus loquentes, communibus saltem in sermonibus & scriptis, se se opinionibus populi accommodabant, intelligentes vulgus, nisi populares, sibique pervias per vias, ac suae accommodatas infirmitati, duci ad rectum non posse. At imprudentiores alii, qui per media imbecilli vulgo minime obvia ipsum ad virtutem urgere nequicquam conabantur, caelestia, ut inquiebant, & immortalia corporeis formis exprimi, ferre nullo modo poterant. Utrique vero tum de SIMULACRIS DEORUM loquebantur, tum eorum de IMAGINIBUS DEPICTIS, quemadmodum legere est apud Clementem

Alexandrinum in Stromatibus, Lactantium in Divinis Institutionibus, Eusebium in Præparatione Evangelica, Augustinum in Libris de Civitate Dei, & in Sermonibus suis Theodoretum, perpetuo, inquam, loquebantur de STATUIS, & IMAGINIBUS DEORUM, quo nullus expeditior modus imaginibus utriusque generis significandis: proindeque veterum peritissimus phrasium Thuanus, excidio non Statuarum modo, sed pictarum etiam Tabularum, quæ nostris colebantur in Templis, exprimendo, pro Veterum dicendi more, talibus utitur semper verbis. Libro Historiarum III *STATUÆ ATQUE IMAGINES passim e Templis removentur*. Libro IV *SIMULACRA ET IMAGINES omnes e Templis sustulerat*. Libro XXX *Nec furori lasciventium temperari potuit, quin STATUÆ ET IMAGINES passim in Templis profligarentur*. Epitome Libri XXXIV. *Protestantium lascivia, per Templa passim dejectis Altaribus, STATUIS ET IMAGINIBUS discursantium*. Epitome Libri XL. *Undique STATUIS ET IMAGINIBUS per Templa dejectis, & confractis*. Et in Libro illo: *Undique afferiur de Templis, Sacellis, STATUIS ET IMAGINIBUS passim a furente plebe expilatis, dejectis, confractis ..... STATUAS ATQUE IMAGINES deturbant ..... IMAGINES AC SIMULACRA disturbata, & asportata*. Libro LIII. *Item decernitur, ut STATUÆ ET IMAGINES Collinæ ubique cancerpantur, & aboleantur*. Ut innumera similia omittamus. Etiamsi enim vocem *Imago* ambiguam secundum se esse superius diximus, attamen cum voce *Statua* conjuncta & collata, quemadmodum hæc ad

Simu-

Simulacrum, ita illa ad effigiem coloribus expressam referatur necesse est. Nam si dum Christiani Patres, se STATUAS ET IMAGINES adorare noluisse testabantur, vel testabantur, Dæmonas sub STATUIS ET IMAGINIBUS delituisse, vel ethnicos in STATUIS ET IMAGINIBUS majores coluisse suos, quicquid stultissime homines admirati fuerant SIMULACRIS ET IMAGINIBUS consecrasse; nemini fas esse Christiano STATUAS ET IMAGINES Imperatorum adorare; si dum Patres, inquam, his utebantur terminis non Simulacra modo Gentilium sacra respiciebant, sed imagines æque Deorum ac Cæsarum coloribus expressas, pari modo, dum ethnici Philosophi vel probare videbantur, vel vehementissime reprehendebant STATUAS ET IMAGINES Deorum a vulgo adoratas, & ab eo habitam ostendebant, & habebant ipsimet, eandem sculptarum, pictarumque imaginum rationem.

Ceterum, dubitare nemo umquam poterit, ingenuas artes, Pictoriam scilicet, ac Statuariam, quemadmodum & Musicam, & Poesim, semel inductas, frequentatasque ac perfectas, in Ægypto præsertim, Græciaque, & in Oriente, quemadmodum apud Etruscos, ac denique Romanos, honori, cultui, & gloriæ Deorum fuisse consecratas, eorumque imagines, quibuscumque ab Artificibus effictas, efformatas, depictasque ac intextas, & quacumque in sede, quocumque positas in loco atque collocatas, ad receptam Numinum religionem tuendam, conservandamque, augendam & amplificandam summopere duxisse. Lucianus, suo illo more, ejusmodi de rebus agens

in

in Prometheo, hunc ita loquentem inducebat: *Erat olim divinum tantummodo ac cæleste genus: tellus vero inculta quædam res, ac informis, neque erant aræ Deorum, neque Templum, nec Statua, nec Simulacrum, NEQUE ALIUD QUICQUAM EJUSMODI, qualia multa jam ubique apparent summa cum cura in honore habita.* ἢ τί ἄλλο τοιοῦτο, οἷα πολλὰ νῦν ἀπανταχόθι φαίνεται μετὰ πάσης ἐπιμελείας τιμώμενα. Homine abs se condito, omnia habitata fuisse, subdit Prometheus, *ubique aras, sacrificia, templa, festorumque celebritates. Jovis autem plenas omnes vias, cuncta hominum fora.* μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί, πᾶσαι δὲ ἀνθρώπων ἀγοραί. Quia scilicet omnibus in viis ac foris, vel sculptæ erant, vel pictæ Jovis imagines, acta, fabulæ, & species, quod gravius, veriusque & clarius ita in Epistola ad Nectarium ethnicum Ethnicis objiciebat Divus Augustinus: *Tot locis PINGITUR, FUNDITUR, TUNDITUR, SCULPITUR, scribitur, legitur, cantatur, saltatur, Jupiter adulteria tanta committens, quantum erat, ut in suo saltem Capitolio ista prohibens legeretur? Hæc mala dedecoris, impietatisque plenissima, si nemine prohibente in populis ferveant, ADORENTUR IN TEMPLIS, rideantur in theatris, cum his victimas immolant, Civitates florere dicuntur.* Ubi igitur de cultu Jovis agebat Sanctus Pater, non distinguebat inter imagines quas Pagani aut fundere, aut tundere, aut sculpere, aut solis efformare coloribus consueverant, eorum insaniam irridens, qui felicitate temporum se gaudere gloriabantur, tales quum imagines, sive intra, sive extra Templum, victimis honorare poterant,

rant, & facinora immunda hominum Deorumque Patris, ut inquiebant, celebrare.

Plurima addi possent de Idololatris posteriori ætate cognitis, eorumque uti in suorum Simulacra Numinum, ita in eorundem Picturas æquali usu ac religione. Kircherus in Libro, cui titulum fecit *China monumentis, qua sacris, qua profanis illustrata*, haud paucas in medium protulit Picturas cultas a Sinensibus, illarum etiam schematibus propositis, ob quæ jure dubitaveris, fuerint ne Sinenses superstitiosi magis, an pessimi Pictores. In eorum graphidos inelegantia, vetustate, ac pertinacia, Ægyptiacam originem iterum suspicareris. Mulierus in Disquisitione Geographica & Historica de Chataja illud protulit: *SOLA PICTURA, & fortitudine, Sinæ ab Europæis superantur*. Quot autem fide digni Scriptores tradunt, hodiernos orientales Idololatras coram pictis Numinum suorum Tabulis, haud minus, quam coram Statuis eorumdem atque Simulacris, submisso genu vota facere consuetos, easque Picturas una cum facibus ac floribus, lampadibus ac odoramentis collocare! Bernardus Picardus, inter Protestantes celebris, sua in Historia cæremoniarum, morum atque rituum sacrorum apud populos totius Orbis obtinentium, Tomo II. Capite 16. collata veterum Gentilium superstitione cum idololatria Ethnicorum nostri temporis, tandem subjicit: *Recentiores Ethnici, quod ad imagines suorum spectat Numinum, in eodem versantur, quo veteres errore, eademque in praxi: inde est quod, quemadmodum antiqui temporis idololatræ, ita etiam hodierni, CUM SCULPTAS, TUM PICTAS*

etiam imagines suis Diis consecrant, eodemque quo Catholici imagines Sanctorum venerantur ritu. Ardent coram **PICTIS DEORUM IMAGINIBUS AC STATUIS** *lampades tædæque, religiose circumgestantur Imagines ac Statuæ, utrasque ethnici illi osculantur &c.* Crozæus denique in Historiis suis Christianismi Indiarum, Imagines Deorum pictas cultasque refert apud Sinas, quas cum aliquibus sacris imaginibus pictis, ac in Hispania cultis, more veterum Iconoclastarum comparat & confert, eo scilicet dicendi genere, quod ab hodierna disputandi ratione quammaxime abhorret. Quum nos tamen, ob usum cultumque imaginum sculptarum, imitationis veterum ethnicorum a recentioribus Græcis postulemur, hodiernorum propterea Gentilium more obiter animadverso, ad meditationem revertimur imaginum pictarum, quas Græci Romanique in idololatria adorabant, quæque, quod ad artem tamen solam & colores spectat, cum imaginibus, quas Græcis in præsens colunt, conveniebant.



CAPUT VI.

Quantum Pictura ad cultum idololatricum contulerit.

SI præcipuis de caussis, ac generalibus, ut ita dicam, loquimur, quibus Legumlatores aliqui rejiciendas, alii vero admittendas constituerunt imagines Deorum, facile crediderim, quemadmodum primi, aut cohibendos parietibus, & Statuis, & Imaginibus Deos, aut eos in aliquam humani oris speciem assimilandos, ex magnitudine cælestium, equum minime duxerunt; ita posteriores, ut pietatem in Deos augerent, easdem illos, quas ipsi, incolere urbes, proindeque & in Statuis, & in Imaginibus consecratos habitare voluisse: cui tamen generali consilio alios, pro rerum opportunitate, & progressu artium, accessisse fines nemo negaverit, qui in varios idololatriæ effectus, diversamque Gentium illarum conditionem, animum intenderit. Ut intelligamus autem, quare specialius Statuas aliquas, Tabulasque pictas, nonnulli elegerint Numinibus repræsentandis, considerandus est Tullii locus Libro I. de Natura Deorum scribens: *Quis tam cæcus in contemplandis rebus umquam fuit, ut non videret species istas hominum collatas in Deos, aut consilio quodam Sapientum, quo facilius animos imperitorum ad Deorum cultum a vitæ pravitate converterent, aut superstitione, ut essent Simulacra, quæ venerantes, Deos ipsos se adire crederent? Auxerunt autem hæc Poetæ*, PICTORES,

 Opifi-

Opifices, *&c.* Dignus, inquam, animadversione locus, quo intelligimus, prima ætate, non elegantes illas, quarum memoriam adhuc admiramur, Tabulas Numinum, ac elaborantissimas Statuas, propositas fuisse, sed Legumlatorum aliquot consilio nonnullas fuisse primum inductas imagines Deorum, quæ rude vulgus a vitæ pravitate & licentia honestiores ad mores convertere valerent. Id vero nisi terribilibus quibusdam formis, quæ timorem horroremque incuterent; vel fulgidis quibusdam Simulacris, quæ admirationem cierent ac venerationem, fieri non potuisse, quisque statim videt, ipsique adeo protestabantur prudentiores Ethnici apud Arnobium Libro adversus Gentes VI. scribentem: *In parte hac eadem illud etiam dicere Simulacrorum Assertores solent, non ignorasse Antiquos, nihil habere Numinis Signa, neque ullum omnino inesse in his sensum, sed PROPTER INDOMITUM ATQUE IMPERITUM VULGUS, quæ pars in populis atque civitatibus maxima est, salutariter ex consilioque formasse, ut velut quadam specie objecta his Numinum, abjicerent asperitatem metu: arbitratique se præsentibus sub Diis agere, facta impia deponerent, & ad humana officia, morum mutatione transirent. Nec propter aliam causam venerabiles formas auro eis argentoque quæsitas, nisi ut adesse vis quædam ipsis in fulgoribus crederetur, quæ non oculorum tantum perstringeret sensum, verum etiam mentes ipsas augustissimæ lucis radiationibus territaret.* Inde igitur vetustissima illa Simulacrorum terribilium prodigia, & portenta ultra modum humanum, quæ ad terrendos feroces rudiorum imperito-

rum-

rumque animos nonnullis in Templis visebantur; & colosseæ illæ, sive sculptæ, sive pictæ Numinum imagines, quæ non tam majestatem eorum & vim veluti mole sua antiquissimis ac barbaris hominibus ostentarent, sed humaniori etiam ætate, ac in artium elegantia & perfectione, retentæ conservatæque sunt.

Tanto vero magis ita olim imagines fieri oportebat, quanto minus in humanitatem erant homines propensi. Comes de Caylus, quo varias Sculpturæ Picturæque vires ac effectus vestigaret, viam init, cui utinam in exquirendis animorum affectibus semper se Philosophiæ civilis Interpretes commisissent: tunc siquidem facilius intellexissent, nativis & puris etiam in facultatibus, quam parum virium sit atque intelligentiæ. Tomo igitur Monumentorum XXV. Academiæ Parisiensis narrat præclarissimus ille ingenuarum Artium Interpres, ut quid ars colorve nuda veluti in natura possent intelligeret, in simplicioribus mortalium, videlicet in Rusticis, experiendum duxisse, ac porro expertum se frequentissime fuisse, quanam ratione ex diverso imaginum genere, sive, quonam majori vel minori sensibilitatis afficerentur gradu. Vidisse se vero protestatur, primum eos maxime figuris agi COLORIBUS CRASSIORIBUS AC VEHEMENTIORIBUS depictis, quam quocumque sculpto Simulacro, etiamsi Simulacra Statuasque ob oculos iidem perpetuo habeant: magis tamen excitari agique informi etiam ac rudi Simulacro, quam Tabula quacumque affabre ac elegantissime depicta: scilicet, quo magis sensibile objectum est, eo facilius rudiores eorum sensus ac animos moveri. quam

 sane

sane Viri præclarissimi animadversionem quotidiana experientia confirmat. Unam modo in rem animum intendendum ipse adjicerem, in imaginum scilicet utriusque generis colosseam altitudinem & figuram, quæ cuicumque arti, & coloribus quibuscumque, & omni demum auri argentique pretio prævalet apud imperitos. Memini siquidem, dum Placentia, Patria mea, sub finem vitæ Caroli VI. Cæsariano teneretur milite: quumque in ea Ædes Sancti Domnini sit, cujus in Templi fronte imago Divi Christophori picta est altitudinis & magnitudinis non giganteæ dixerim, sed cum symmetria verius immensæ, tantæque, quanta ipsa Templi frons est, Germanos milites tam incredibili agi rapique solitos fuisse pictæ illius imaginis admiratione, ut ab ea avelli vix possent; vixque apud eam ordinato agmine incedentes, ordines servarent.

Progressu temporis humanitatis & artium, justiorem ad formam imagines Numinum redactæ universim sunt; adeo tamen ut pictura indigerent, quo viventis speciem repræsentarent. Simplex enim Statua, quæ nullo colore erat prædita, quid, generatim loquendo, agere in vulgus potuisset? modicum profecto; quippe inexperto artium oculo quidnam nuda Statua, nisi cadaver afficcatum, sine oculis, sine vita, sine motu, mortuumque tandem Simulacrum, nullam habens similitudinem viventis? Itaque Statuas illas plurimis obfuscare coloribus oportuit, aurique vel argenti fulgoribus ornari, quo speciem non modo ac majestatem, sed viventis similitudinem, & illius similitudinem gentis, quam agere, rapereque, ac

terrere

terrere debebant, ostentarent. Ita revera contigisse testatur his verbis Libro Stromatum VII. Clemens Alexandrinus: *Ethnici, sicut hominibus formas similes, ita iisdem quoque, quibus ipsi, animi perturbationibus obnoxios ponunt Deos, quemadmodum EORUM FORMAS SIBI SIMILES SINGULI PINGUNT*, καθάπερ τὰς μορφὰς αὐτῶν ὁμοίας ἑαυτοῖς διαζωγραφοῦσι, *Æthiopes quidem nigros & simos: Thraces autem fulvos & cæruleos: ita etiam animos assimilant iis, qui eos effingunt: Barbari quidem agrestes ac efferatis moribus: Græci autem mansuetiores, sed in quos tamen cadunt animi motus ac perturbationes.* Adducit hanc in rem Clemens Alexandrinus Xenophanem Colophonium: Clementem vero Alexandrinum, & Colophonium hunc ipsum exscribit Theodoretus Sermone III. qui est de Angelis, Diis, & Dæmonibus, Vatis illius judicium probans, qui ex colore imaginibus Deorum indito, horum falsitatem arguebat; Æthiopas nimirum, suos sibi Deos, atros effingere ac simos, quales natura sunt ipsi, querebatur: verum Thracas pingere Deos glaucos, ac rubore veluti suffusos: pari modo Persas Medosque, Deos sibi similes expressisse; demque & Ægyptios sua sibi Numina ad imaginis, quam habebant, exemplum depinxisse: quibus constitutis ita Xenophanes pergebat:

Si manibus possent uti tauri atque elephantes,
PINGERE vel manibus, vel quæ nos facta referre,
Jam similes & equis Divas bubusque videres,
Cornipedes PINXISSE & equos taurosque bicornes,
Haud alio factos quam quo ipsi corpore nunc sunt.

ΑΝ'

Ἀλλ' εἰ χεῖρας ἔχον βόες ἠὲ ἐλέφαντες
Ἠ γράψαι χείρεσσι, κ. τ. λ.

Qua quidem in re quantum mos valeat, quantumque cum opinione conjungatur, eruere est ex Marco Polo Libro III. Capite 18. tot post Xenophanem allegatum, Clementemque Alexandrinum, ac Theodoretum seculis, pariter scribente: *Omnes habitatores Provinciæ Malabaricæ, tam viri, quam mulieres, nigri sunt. Idololatræ, qui inter illos agunt, Deorum suorum imagines nigerrimas PINGUNT, asserentes, Deos, & omnes Sanctos, nigros esse.* Quoniam vero apud Gentes etiam quammaxime civiles populus adhuc tamen est, ac erit semper populus, ideo & apud illas nonnulla Numinum Simulacra pingi diebus saltem solemnibus oportuit, quemadmodum apud Romanos contigisse tradit Plinius Libro III. Capite 7. scribens: *Enumerat Auctores Verrius, quibus credere sit necesse, Jovis ipsius Simulacri faciem diebus festis MINIO ILLINI SOLITUM ... hac religione etiam nunc a Censoribus imprimis JOVEM MINIANDUM locari.* Apod Græcos quoque Bacchi Simulacrum minio fucatum memorat Pausanias in Achaicis; ne similia de aliis addamus apud Vossium legenda Libro de Theologia Gentili IX. Capite 2. Ex quibus patet, vel in usu Simulacrorum, atque Statuarum Numina repræsentantium, necessariam fuisse suis cum coloribus Picturam ad fructum effectumque, quem sibi Legumlatores ac Magistratus constituerant, respectu saltem vulgus, obtinendum: ad quod si animum intendissent nonnulli rerum antiquarum Interpretes, admi-

admirationem doloremque cohibuissent suum, ex eo ortum, quod veteres Græci etiam & Romani pulcherrimas aliquando Statuas aureas argenteasque, æneas ac marmoreas, coloribus corrumpere consueverint.

Ægyptii ac Orientales populi, qui opibus divinitisque immensis, & imperii olim gloria valebant, illi sane erant, ut Arnobii vocibus utamur, qui venerabiles suorum Numinum formas auro argentoque conflatas proponebant, ut adesse vis quædam ipsis in fulgoribus crederetur, quæ non oculorum modo perstringeret sensum, verum etiam mentes ipsas augustissimæ lucis radiationibus territaret. Eo sane tendebant Hieremiæ monita apud Baruch Capite VI. in Epistola ad Captivos in Babyloniam abducendos: *Nunc autem videbitis in Babylonia Deos aureos & argenteos, & lapideos & ligneos in humeris portari*, *OSTENTANTES METUM GENTIBUS*; nec non apud Auctorem Libri II. Macchabæorum Capite 2. ubi rursus ad transmigrantes Judæos: *Ne obliviscerentur præcepta Domini, & ut non exerrarent mentibus, videntes SIMULACRA AUREA ET ARGENTEA, ET ORNAMENTA EORUM*, aureas scilicet, argenteasque Numinum Babylonicorum Statuas visuri erant transmigraturi in Babylonem Judæi, quarum pretium & fulgor, non oculos modo, sed eorum etiam mentes obstringere & caligare fortasse potuissent. Nec vero magis in Chaldæorum Babyloniorumque Regnis id contingere oportebat, quam in aliis Orientis partibus, auri argentique feracissimis, ac in regionibus opulentissimis Ægypti: indeque repetitæ illæ Regii Psaltis voces: *SIMULACRA GENTIUM AR-*

GEN-

GENTUM ET AURUM, quia Gentes, quæ circum Judæam erant, vel inter quas versaturi erant Judæi, & a quibus non semel victi, & superati sunt, quarumque idololatriam æmulabantur, Deos aureos & argenteos jactabant. Lucianus in Jove suo Tragœdo Concionem Deorum describens, deque sede ipsis destinanda agens, Mercurium ita Jovi dicentem inducit: *Videntur autem SOLI DII BARBARI primas occupaturi sedes: nam Græci vides Jupiter quales sunt venusti quidem pulchrique, ac secundum artem compositi: lapidei tamen aut ænei omnes, vel qui omnium sumptuosissimi sunt, eburnei, pauculo auro renidentes, ut qui eo tantum intincti refulgeant: ceterum intus lignei, in quibus manentes musearum toti greges conteguntur. Bendis autem hæc, & Anubis ille, & prope ipsum Attis, & Mithres EX SOLIDO AURO SUNT CONFLATI.* ἡ Βένδις δὲ αὕτη, καὶ ὁ Ἄνουβις ἐκεινοσὶ, καὶ παρ' αὐτὸν ὁ Ἄττις, καὶ ὁ Μίθρης, καὶ μὴν ὅλοι ὁλόχρυσοι, καὶ βαρεῖς, καὶ πολυτίμητοι ὡς ἀληθῶς. Jablonskius Epistola ad Crozæum, quæ Tomo I. habetur Thesauri Lacroziani, totus est ut ostendat, ANUBIDEM nil aliud significasse, quam AUREUM, Ægyptiosque ratione quadam mystica ductos, Numinis illius Statuas ex solido conflasse auro; quemadmodum nec illum morem MITHRAM ET ATTINEM AUREOS confingendi ratione sua caruisse; alterum namque apud Persas, apud Phrygas alterum, pro Sole fuisse celebratum, cui etiam barbaros apud populos aurum dicabatur. Certe hoc jam erat antiquum, ut jam apud Sabios, vetustissimam gentem, obtinuisse, Maimonidis auctoritate constet, cujus arabica verba

Poco-

Pocockius affert in Specimine Historiæ Arabum p. 142. Nec vero Statuæ tantum Anubidis erant AUREÆ, sed etiam CUM PINGEBATUR, AUREUS PINGEBATUR, ut colorem semper suum servaret: quo spectare videntur verba Plinii Libro XXXVIII. Capite 9. Ut ad nomen Anubidis revertar, subdit Jablonskius, fuit illud ab auro potissimum desumptum, QUIA SÆPIUS ET FERE COMMUNITER FUIT AUREUS EFFICTUS, quod non modo Lucianus & Plinius docent, verum etiam Auctor, cujus Excerpta Chronologica Malalæ præmittuntur. Tradit is Ægyptios ANUBIDEM appellare τὸν χρυσοῦν Θεὸν DEUM AUREUM. Cedrenus similiter p. 16. ἐκ τοῦ χρυσοῦ τὴν φύσιν (aliter πόσιν) ὡς τοῦ χρυσοῦ Θεὸν νομίζοντες, *ex auro formam ei faciunt*, *DEUMQUE AUREUM nominant*. Propterea Ἄνουβις dicitur, & sine terminatione græca Ἀββᾶς Ἄνουβ PATER AUREUS in Palladii Historia Lausiaca Capite LV. & LVIII. Hæc ille

Jam vero, si eadem juxta Lucianum erat ratio Attidis, Mithræ, Bendis, ceterorumque Orientalium Deorum, atque Anubidis, itaque omnia eorum Simulacra vel ex solido auro, vel aureis saltem erant coloribus eorum imagines expressæ, ad religionem propterea sacrumque quemdam horrorem ac metum, ac reverentiam hominibus incutiendam. Græci cunctis Orientalibus humaniores, ea, quæ nec opibus, nec divitiis poterant, artificio atque opere præstare studuerunt; quippe Græcus ipse ac irrisor Lucianus pulchra venustaque, & secundum artem elaborata fatebatur Simulacra Numinum apud Græcos, quamvis,

non, quemadmodum apud Barbaros, auri argentique pretio fulgerent, heincque rursus in eadem Deorum Concione apud ipsum Venus quum dixisset: *Ergo Mercuri accipe me, & in primis confessibus colloca, aurea enim sum*: regerit Mercurius: *Minime Venus, quantum ego video, sed, nisi hallucinor, ex alba lapide ex Monte Penteli exciso, ut Praxiteli placuit, facta Venus Cnidia tradita es*. Tunc Venus: *Atqui fide dignum testem tibi producam Homerum, qui sursum & deorsum suis in Rhapsodiis, auream esse me dicit*. κ̔ μιὼ ἀξιόπιστόν σοι μάρτυρα τὸν Ὅμηρον παρέξομαι, ὃν κ̔ κάτω τῶν ῥαψωδιῶν χρυσῆν μὲ τὼ Ἀφροδίτων εἶναι λέγοντα. Inopia igitur auri & argenti, respectu orientalium saltem divitiarum, oportuit apud Græcos, ut allegans Clementis Alexandrini utar verbis, manus Apellis figuram divinæ existimationis tribuere materiæ, Pictoriam ad artem confugere oportuit, ætate præsertim, qua Theosynodia & Mithologia fuerant jam adeo a Poetis celebratæ, juxta rectissimam, quam exscripsimus, Tullii animadversionem, qui postquam dixisset de consilio vetustissimorum Sapientum, qui ad homines continendos Simulacra quæcumque Deorum esse voluerunt, adjicit: *Auxerunt autem hæc eadem Poetæ, PICTORES, Artifices*; quibus de origine & progressu idololatriæ paucis multa dixisse videtur Oratorum Princeps, eamque uti humano errori ac Politicorum fillis, ita & Poesi adserere, Pictoriæ, ceterisque artibus, aut verius, quemadmodum prioribus illis ortum, ita posterioribus incrementum debuisse suum tradere videtur. Sic Polinacus Cardinalis Libro Antilucretii IX.

Inde

Inde per humanas glifcente libidine mentes,
Vera Dei fenfim fpecies fquallefcere cœpit.
Nam Populi Dominum veriti, at quis funditus effet
Obliti, non jam æternum, non fimplicem & unum,
Multiplici fœde PICTUM *coluere figura:*
Membratim in varios aufi difcerpere Divos,
Atque Deas, prout ufus erat, fuafique Cupido.
Venit adulatrix & fallax turba clientum.
Huc accefferunt Sophiæ myfteria tectæ,
Et mirabilium inventrix Facundia rerum,
Hiftoriæ male tuta fides, & carmina Vatum
Ingeniofa, vel AFFINIS PICTURA POESI.
Qui quondam in rebus Numen videre creatis
Thure falutabant res ipfas &c.

Nempe, jam fatis firmatis conftitutifque, immo & plurimum auctis Græcorum civitatibus, ornari quoque & amplificari eorum religionem oportuit, novumque ac multiplex imaginum facrarum genus induci, quibus non tam primarius earum finis, cultus videlicet ad propitianda Numina, fed fecundarii alii, hiftoricus, phyficus, ac moralis, obtinerentur, quippe facris imaginibus geftarum non modo memoriam actionum, fed & naturam rerum exprimi, & quicquid per effigies Numinum atque Heroum repræfentaretur, ad conciliandum virtutis amorem, ad mores corrigendos, fed maxime ad humanitatem fovendam conducere oportere ftatuerunt. Quis vero dubitet, hæc omnia pictis magis imaginibus ac Tabulis, & pictoria magis arte, & coloribus quæri compararique debuiffe, quam Statuaria, folifque Simulacris? Nam

quamvis artes hæ a Graphide æque pendeant, earumque perfectio multarum adeo disciplinarum auxilium requirat, ac utraque accipiat a Geometria lineam & symmetriam, umbram ab Optica & lucem, a *φυσιογνωμία* mores & affectus; inque Sculptore, haud minus, quam in Pictore, Cælatore, ac Phrygione, cum Naturæ, tum etiam Mythologiæ, Pathologiæque cognitiones postulentur, quibus Heroum ac Numinum imagines, pro ethnicorum votis, opportunitateque solemnium exprimerent; attamen integris Deorum, Heroumque actionibus ac fabulis repræsentandis, oculisque ac eorum animo ac menti, qui receptæ religioni addictiores erant, subjiciendis, necessariam omnino fuisse Pictorum artem & industriam, colores quoque necessarios fuisse, nec id perfecte nudis potuisse Statuis obtineri, nemo non intelligit. Quis enim nisi penicillo satis expressisset fabulas ab Hygino, Fulgentio, Lactantio Placido, Albrico, Natali Comite, Cartario, tum & a tot Mythographis & Vatibus nobis conservatas? Albricus in suo Deorum de imaginibus Libello hac semper scribendi ratione utebatur: *Saturnus PINGEBATUR ut homo senex, tristis . . . qui juxta se habebat filios &c. Juxta ipsum erat imago Opis uxoris suæ, in cujusdam similitudinem Matronæ DEPICTA &c. Jupiter PINGEBATUR in throno eburneo, in sua majestatis sede sedens &c. Mars talis in sua imagine PINGEBATUR &c. Apollo PINGEBATUR in specie impuberis juvenis &c. PINGEBATUR Venus pulcherrima &c. Mercurii imaginem in hunc modum PINGERE voluerunt &c. Diana PINGEBATUR in specie*

Domi-

f

Dominæ, coma dissoluta; quæ arcum tenebat & sagittam, cervos quoque cornutos in venatione insequi videbatur, circa quam, sive ad ejus latera erant Chori Driadum, Hamadryadum, Najadum & Nereidum, & Chori Nympharum &c. &c Similiter de aliis scribit Dis. Neque me tamen latet, in Commentariis Micylli, Schefferi, Munckeri & Wopkensii, qui in postrema Mythographorum ejusmodi Editione comparent, plura apud Veteres adferri Simulacra, quæ cum laudatis descriptionibus aliqua ratione consonant: quemadmodum haud negaverim, ita pingi Deos potuisse, quin tamen Picturæ illæ religiosi objectum cultus omnes ac semper forent. Illud constare adhuc tamen debet, vel Symplegmatibus elaboratissimis totas illas exprimi non potuisse figuras atque fabulas; easque ita coloribus expressas quammaxime duxisse ad initiationum Gentilium mysteria, & ad universum ostentandum religionis eorum apparatum.

Ut vero etiam demus nobile per Symplegma, sive per unionem plurium imaginum sculptarum, potuisse complexissima quæque semel aut iterum repræsentari, neque revera defuisse Euphranores olim, atque Policletos, qui umbras quoque, anhelitusque tum attractos, tum emissos, Statuis expressisse suis credebantur, communiter ac generatim tamen graphica ars per solas umbras & colores, lineamenta non modo, statumque & habitum, & figuram ac ætatem, sed & Numinum Heroumque diversissimos mores, studia diversissima, arcanas affectiones, cupiditates, voluntates, vim aut impotentiam animorum, similia, (πάθος & ἦθος Græcis sunt) sive cetera, in quibus

totius

tonius aliquando fabulæ natura vis, spiritusque & sensus, status atque nodus stant, videtur exprimere posse ac referre. Explicavit id harum peritus artium Philostratus, ita in Exordio disserens Libri I. de Imaginibus: *Et fingendi quidem artis multæ sunt species: nam ipsum fingere, quæque fit ære imitatio, & lygdinem vel parium sculpere lapidem, atque eburnea opera, & ipsa, per Jovem, Sculptura ad plasticen pertinet. Pictura vero coloribus quidem constat, sed hoc non solum efficit, verum multo plura ex ista re, unica licet, quam alia ars quæcumque ex multis comminiscitur, umbram enim demonstrat, & obtutum observat, furentis alium, alium mœrentis, aut gaudentis; oculorumque radios, qualescumque fuerint, Fictor quidem minime exprimit, cæsium autem oculum, glaucumque & nigrum ARS PICTORIA agnoscit. Agnoscit & comam flavam ruffamque & rutilantem, vestiumque colores atque armorum: thalamos propterea ac domos, nemora item, montesque ac fontes, & in quo hæc sunt æthera &c.* καὶ πλαστικῆς μὲν πολλὰ εἴδη. καὶ γὰρ αὐτὸ τὸ πλάττειν, καὶ ἡ ἐν τῷ χαλκῷ μίμησις, κ.τ.λ. Animadvertere revera est in Descriptione Musei Medicei a Josepho Blanchio concinnata, quantum sculptis desit imaginibus, immo & præstantissimis Syplegmatibus, quæ in Museo Etrusco reperiuntur, quantumque in eis sit inopiæ, ad universam aliquando fabulam, immo ad nescio quas animorum affectiones cupiditatesque, quantum satis foret, exprimendas ac repræsentandas; nam quum laudatus Auctor aptissimis utatur antiquorum Vatum locis ad Signa illa Simulacraque explicanda, carminis potiorem partem

sæpe

sæpe cogitur omittere, quia nec πάθος ac ἦθος, nec omnes affectus actionesque Numinum vel Heroum, qui Statuis illis repræsentantur, nec denique accommodatus fabulis rerum habitus ac status in illis reperiuntur Simulacris, nec porro reperiri potuisse datum erat.

Ex opposito si nobiscum reputamus, quam inter Pictorum Poetarumque opera convenerit, statim consequemur, arte magis pictoria, pictisque Tabulis, quam Statuis atque Simulacris, in religionis exercitio uti Gentiles debuisse, præcipuumquod enim, ut inquiebat Plutarchus in Commentario de audiendis Poetis, vel in Libello de Gloria Atheniensium, certum est, *Picturam esse Poesim tacentem, Poesim, Picturam loquentem*, τὴν μὲν ζωγραφίαν, ποίησιν σιωπῶσαν, τὴν δὲ ποίησιν, ζωγραφίαν λαλοῦσαν nam quas res, tamquam si coram agerentur, verbis ac dictionibus Poetæ, ita figuris & coloribus Pictores repræsentant, accedit, juxta veterum revera Poetarum carmina solitos fuisse Pictores antiquos Deorum acta & imagines exprimere ac repræsentare, quemadmodum protestabatur Prudentius Libro contra Symmachum II. ita canens:

At vos PICTORUM docuit manus, assimulatis
Jure POETARUM Numen componere monstris:
Aut lepida ex vestro sumsit PICTURA sacello,
Quod variis imitata modis, ceraque liquenti
Duceret in faciem, SOCIIQUE POEMATIS arte
Aucta coloratis auderet ludere fucis.
Sic unum sectantur iter, & inania rerum

Somnia

Somnia concipiunt & HOMERUS, & acer APELLES,
Et Numa, cognatumque malum, figmenta Camenæ,
IDOLA conflavit fallendi docta potestas.
Hæc si ita non sint, edatur, cur sacra vobis
EX TABULIS, CERISQUE poetica fabula præstet!
Cur Berecynthiacus perdat truncata Sacerdos
Inguina, quum pulcher se se castraverit Atis?
Cur etiam Templis Triviæ, lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi, quum Phœdra pudicum
Captavit juvenem volucri per litora cursu,
Idque etiam PARIES tibi VERSICOLORUS
adumbret?

Nexum illum inter ethnicorum Poetarum carmina, Gentiliumque opera Pictorum, jam animadverterat Lactantius Libro Divinarum Institutionum I. & ante ipsum Lucianus in Dialogo de Imaginibus, qui Picturis etiam quibusdam Numinum, ubi περὶ τοῦ οἴκου agit, descriptis, subjicit, primum earum exemplar videri sibi Pictorem ab Euripide ac Sophocle accepisse, & in Dialogo, cui Κρονοσόλων fecit titulum, hunc adfirmantem inducit de Saturno, *qualem PICTORES fingunt, exemplar a deliris POETIS imitati.* οἷον αὐτὸν οἱ ζωγράφοι παρὰ τῶν ληρῶν τῶν ποιητῶν παραδεξάμενοι. Quantum Homeri poemata suis in picturis exprimere sategerit Polygnotus, fuse ostendit Pausanias cum in Atticis, tum etiam in Phocicis, propterea jure scripsit vetus vitæ Homeri Auctor, Homerum fuisse Picturæ, Pictorumque Principem. Sed & Themistius Oratione V. Apollinem induxit asserentem, *gratam sibi esse Cytharædorum stolam*

pro

pro POETARUM PICTORUMQUE *voluntate*. ἐν γραφῇ κιθαρῳδικῇ ἣν ἐμοὶ φίλην ὑπολαμβάνουσιν οἱ ποιηταὶ καὶ οἱ ζωγράφοι. Quo sane allusit Macrobius in Somnium Scipionis Libro I. Capite 2. scribens. *Adeo semper ita & se sciri, & coli Numina voluerunt, qualiter in vulgus Antiquitas fabulata est, quae* ET IMAGINES ET SIMULACRA, *formarum talium prorsus aliena, & aetates tam incrementi, quam diminutionis ignaris, & amictus ornatusque varios corpus non habentibus assignavit*. Hinc Lucianus in Symposio Alcidamantem inducit quemdam Cynicum dicentem: *Quod si defatigatus fuero, tum humi substrato pallio, cubito innixus jacebo, qualem* HERCULEM PINGUNT, οἷον Ἡρακλέα γράφουσι. Et paullo post: *Jacebat seminudus cubito humi fixo innitens, qualem Herculem* PHOLENSES PICTORES *exprimunt*. οἷος ὁ παρὰ τῷ φόλῳ Ἡρακλῆς ὑπὸ τῶν γραφέων δείκνυται. Ne Persii illa, Satyra IV. omittamus:

Sum tibi Mercurius: venio Deus huc ego, ut ille PINGITUR.

Et vero, si profana cum sacris conferre, quod ad externam spectat rerum speciem, fas est, quemadmodum Pictores nostri ea, quae ad Religionis sanctissimae mysteria, quaeque ad Acta Martyrum pertinent, absque Sacrarum Literarum, ac Hagiographorum lectione cognitioneque, nec mediocriter pingere valerent, ita quomodo Pictores ethnici ea, quae ad Heroum Deorumque actiones fabulasque pertinere dicebantur, expressissent, nisi eadem a Vatibus Mythogra-

thographorum parentibus ac filiis derivassent? Ad id sane respiciens egregius antiquatum rerum Interpres, Comes de Caylus, ex Homeri Iliade ac Odyssea, exque Æneide Virgilii, Tabulas excogitavit, adumbravitque ac effinxit, a Pictoribus hodiernis perficiendas: quemadmodum variis ex antiquis Scriptoribus Thebani Herculis historiam, juxta mores ac modum illarum ætatum ac gentium exprimendam. Michaelem Angelum ex divino Dantis poemate aliqua suis in Tabulis pinxisse, sunt qui animadvertant ad Librum I. Capite 5. Federici Cardinalis Borromæi de Pictura Sacra. Ex opposito non semel a pictis Deorum Tabulis mutuati sunt Poetæ, quæ de Diis inde cecinere, ut apud Photium in Bibliotheca legimus Codice CLXI. agentem de Eclogis Sopatri Sophistæ. Sic Longus Pastoralia sua, de Daphnide & Chloe, ut in Procemio habet, EX TABULA PICTA εἰκόνος γραφὴν, quam in luco Nympharum spectasse se dicit, erotica derivasse illa fatebatur. Sic denique Persium legens, Plinium, Lucianum, Tzetzen, ac magis veteres Mythographos, Deorum de actibus & fabulis, deque habitu ac formis, & animorum affectibus, dictum perpetuo intelliges juxta quod Artifices exprimere penicillo & coloribus consueverant. Hinc elegantissimus Carolus Alphonsus du Fresnoy Poema suum de Arte Graphica ita auspicatus est, ut melius exprimi significarique non possit, quantum nexæ inter se se artes illæ sint, quantumque ad Religionem proferendam, sive potius ad Religionis mysteria oculis adumbranda conducant. Ait namque:

Ut

Ut Pictura Poesis erit; similisque Poesi
Sit Pictura, refert par æmula quæque sororem,
Alternatque vices & nomina; muta Poesis
Dicitur hæc, Pictura loquens solet illa vocari.
Quod fuit auditu gratum cecinere Poetæ;
Quod pulchrum aspectu Pictores pingere curant:
Quæque Poetarum numeris indigna fuere,
Non eadem Pictorum operam studiumque merentur.
Ambæ quippe SACROS AD RELLIGIONIS HONORES
Sidereos superant ignes, aulamque Tonantis
Ingressæ, Divûm aspectu, alloquioque fruuntur,
Oraque magna Deûm, & dicta observata reportant,
Cælestemque suorum operum Mortalibus ignem.

Quamquam, ut ad hunc apte locum adnotat tam docti Vatis Gallicus Interpres, præstet Pictura Poesi in objectis altius, diuturniusque in animo imprimendis. Nam & Venusinus Vates Poetica in Arte.

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Et vero ea oculis repræsentare in Ethnicorum sacris moris erat, quæ nisi penicillo & coloribus, satis exprimi non poterant. Aristides Oratione Isthmica in Neptunum, ad hujus Numinis sacra rite celebranda pingendum docebat Palæmonem non modo Delphino insidentem, sed ipso maris vectum æquore, vel in maternis manibus florentem, vernantemque puerum comprehensum: mare tranquillum ibidem appingi

 opor-

oportere subjiciebat, puerumque Neptuno ex peplo arridentem: Neptuno Amphitriten, Leucotheam, Palæmonem, Nereidas, omnesque marinos Deos atque Deas comites in Tabula exprimendas. Ita, inquam, depictam esse inquiebat oportere Neptuni Tabulam, dum quis ante ipsum juramenta conciperet, vel ejus mysteriis initiaretur. παλαίμονα δὲ ϗ εἰκοῦν καλὸν ϗ τ' ὄνομα αὐτοῦ ὀνομάσαι, ϗ ὅρκον ποιήσασθε, ϗ τῆς πλετῆς ἐπ' αὐτῷ, ϗ τῶ ὀργιασμῶ μετασχεῖν, ϗ ἰδεῖν γε ϗ ἐν γράμματι, κ. τ. λ. Eadem ratione Nehaleniam Deam, nempe Lunam, vermiculato opere Nemausum eruto, triplici depictam colore intelligimus apud Montfauconum Tomo II. Parte II. Antiquitatis explicatæ, pag. 444. atque ea specie, solo ut Simulacro, qualis illic comparet, repræsentari nulla ratione potuisset. Dea siquidem ad oram maris stat; tumet autem mare ac fluctibus erigitur, adest fax accensa, qualis noctu in Pharis, alia prostant denique, nec Symplegmatis beneficio perficienda. Nil arte Pictoria tamen indigebat magis, quam eroticorum, ut diximus, ad Deos ac Heroas pertinentium expressio. Libanius Epopœja II. Pictorem inducens de Tabulis gloriantem suis, quod Poetarum de Diis inventa strenue imitatus foret, ita eum loquentem facit: *Non tam imitabar imagines, quæ apud homines cernebantur, verum etiam Deos exprimebam Cupidini servientes: atque eorum indolem sexumque deformabam, quod natura pati non assolent. Jovem quidem* ***PINGEBAM*** *Bovi similem propter amorem, & Europam humeris suis impositam ferre adegi,* ***COLORUMQUE SUBSIDIO*** *tranare maria: quin etiam*

per

per me olor fuit: & quum huic gratum facere studui, aurum effinxi. Quid autem quod Apollo tardior lingua per dexteram meam expressus est, & cursum immensum COLORIBUS *inserui in pedibus immotis. Scio me cera* PINXISSE *Martem &c.* Καὶ οὐ μόνον τὰς περὶ ἀνθρώπους ἐμμεμηνότας εἰκόνας ἀλλὰ καὶ Θεοὺς παρεισήγαγον δουλεύοντας ἔρωτι, κ. τ. λ. Hujusmodi erant generis innumeræ Deorum Tabulæ summa religione a Gentibus olim cultæ: qua de re fidem faciunt lacrymæ Sanctorum Patrum de Pictoribus ethnicis querentium quod impudicam Venerem exprimere solerent, adulterum Martem, Jovem non magis regno, quam vitiis Principem, terrenos in amores cum ipsis suis fulminibus ardentem, nunc in plumas albescere oloris, nunc aureo imbre defluere, nunc vetitos in raptus avibus ministris prosilire: hasque imagines dum miseri venerati essent, religiosa ipsis facta fuisse facinora & delicta.

At enim vero exilient heic antiquitatis Accusatores, rogabuntque, quonam pacto sine cognitione Opticæ veteres Pictores tot fabularum portenta satis exprimere potuerint? Ad eroticorum siquidem ac pathematon modos, quales in Heroicis ac Amoribus Vates describere solebant, repræsentandos, haud satis fuisse dicent arcamores etiam expressas fuisse animi affectiones, lætitiam, dolorem, pudorem, horrorem, pietatem, iram, audaciam, decorem, sive quos characteres Numinum Heroumque appellabant; neque satis plana in superficie prominentia rotundaque repræsentasse corpora, vel solis coloribus vitam veluti mortuis imaginibus præstitisse. Hand negabimus,

in-

inquient, Aristidas in Græcia fuisse, qui mores & animum, sensusque omnes penicillo expressisse dicebantur, Timanthesque, quorum in operibus plus semper intelligebatur, quam pictum esset, alios demum fuisse celebratos, qui ea quæ pingi non credebantur posse, adhuc pinxisse sive facili, sive falsa prædicatione ferebantur; illud negabimus, notam artem priscis Pictoribus fuisse, res quaslibet delineandi prout ad datam distantiam, & in data altitudine oculis inspicerentur; negabimus, in Tabula, aut velis nullam habentibus profunditatem, vicinores remotioresque Fabulæ Actores, motus venientes, discedentesque, ac parerga, aliquando fabulæ prorsus necessaria, juxta leges Opticæ repræsentare eos potuisse. Ita olim Peraltus, Tassonius, similesque disserebant, sed quod dolendum magis, post eos a Sapientissimis Viris castigatos, nostris rursum diebus, iisdem acti præconceptis, iisdemque redeunt meditationibus in scenam novi Antiquitatis ac Pictorum veterum Osores; eo audaciores magis, quo ex Herculanensibus Tabulis, aut paucis aliis illorum temporum nunc adhuc reliquis, suam se confirmare credunt posse de inopia, vel imperfectione Artium apud Veteres sententiam. (*V. Essai Philosophique & Historique sur le Goût par Monsieur Cartaude de la Vilate - Londres - - - Joannon de S. Laurent Description & Explication d'un Camée &c. p.* 169.)

Qui tamen Herculanensibus ex Tabulis, aut similibus, de perfectione & pretio statuere Tabularum pergunt, quas florentissima Artis in Græcia ætate pinxerant Zeuxis, Apelles, Protogenes, Polygnotus &c, quæ-

quæque exstiterunt olim Athenis, Corinthi, Syracusis, totaque in Græcia, & Romæ postea, næ illi in errore maximo versantur. Haud negaverim Herculanensibus de Tabulis, in primo illo, ut ita dixerim, inventionis ἐνθουσιασμῷ, mira plura, falsaque fuisse evulgata, adeo ut & Optices perfectissimam cognitionem illarum Pictoribus asseruerint nonnulli, deficientibus tunc testibus fidelissimis, qui Tabulas eas se vidisse, atque egestionibus ipsis se interfuisse publice testari possent: qui etiam in illis describendis maturo judicio, priscarumque studio rerum, & cognitione eminerent. Siquidem nonnulli, qui eas festinanter nimis, leviterque descripserunt, aliorum narrationes, interdum fabulis commixtas, sequuti sunt, & ignaris, ut quæstum facerent, sedulo obtruserunt. Aliquo tamen elapso tempore, & ignorantia, & œstrum, & quæstus, & fraudes cito evanuere, vulgatis demum Herculanensibus Picturis, suumque ad pretium redactis a præstantissimis Scriptoribus in Symbolis Gorianis, quorum ex probationibus, confessione, ac testimonio, negari haud tandem potest, Artifices illos perfecta Optices cognitione revera caruisse. Herculanium tamen neque Athenæ umquam fuit, neque Syracusæ, nec Corinthus, nec Sicyon, nec Roma; neque perpendunt felicioris Antiquitatis Osores quanto temporis intervallo distent Herculanenses Tabulæ ab ætate qua Graphica ars floruit apud Græcos. Videtur mihi hominum ejusmodi judicium illi simile, quod faciunt nonnulli, dum ex horrido pluvio ac hiemali Vere nostro de veritate carminum eorum dubitant, quibus Græci dulcissimum Ver suum amœnissimumque

ceci-

cecinere. Missis enim heic satis notis Plutarchi, Vitruvii, ac Suidæ testimoniis, Lucianus ipse adeo morosus, ac in irridenda quoque seria proclivis, Tabulam tamen Zeuxidos in Antiocho describens, eam TOTAM VIM ARTIS CONTINERE protestabatur, τὴν ὅλην ὅμως ἔχει δύναμιν τῆς τέχνης, videlicet, *linearum exquisitam directionem, accuratamque temperationem pigmentorum, inductionem tempestivam, & umbrarum rationem, proportionem magnitudinis, ac mensuras integro æquabiliter correspondentes, aliaque, quæ artis rudibus haud satis apparebant*. οἷον τὸ ἀποτεῖναι τὰς γραμμὰς ἐς τὸ εὐθύτατον, καὶ τῶν χρωμάτων ἀκριβῆ τὴν κρᾶσιν, καὶ εὔκαιρον τὴν ἐπιβολὴν ποιήσασθαι, καὶ σκιάσαι ἐς δέον, καὶ τοῦ μεγέθους τὸν λόγον, καὶ τὴν τῶν μερῶν πρὸς τὸ ὅλον ἰσότητα, καὶ ἁρμονίαν. Et sane qui præpostere ita de Veterum Pictura judicant, illis imaginibus aguntur, quas in parietibus adhuc reliquis conspiciunt, nuptiis videlicet Aldobrandinis, ac similibus; non animadvertentes primum ad ea Plinii Libro XXXV. Capite 10. ubi postquam dixisset de Ludio, qui ætate Augusti festivas amœnissimasque instituerat parietum picturas, subdit: *Sed nulla gloria Artificum est, nisi eorum, qui Tabulas pinxere: eoque venerabilior apparet Antiquitas. Non enim parietes excolebant Dominis tantum, nec domos uno in loco mansuras, quæ ex incendiis rapi non possent. Casula Protogenes contentus erat. Nondum libebat parietes totos pingere: omnis eorum ars Urbibus excubabat, Pictorque res communis terrarum erat.* Quæ profecto verba explicasse illustrasseque videtur Middletonus in suis Antiquitatibus ad Tabulam I. docens ac ostendens,

dens, Picturas veteres in parietum tentoriis repertas, a praeclarissimis licet Artificibus confectas, non ea tamen diligentia arteque fuisse laboratas, qua reliqua eorumdem Opera in Tabulis singulis expressa, propterea quod tectorii natura, tantis cum ruinarum, tum incendiorum casibus obnoxia, haud ullam famae diuturnitatem, qua artes omnes maxime aluntur, Pictoribus praestare poterat: quum vero Tabulae contra ex incendiis rapi, de loco in locum deportari, Artificumque adeo famam per urbes Gentesque propagare possent, in his omnem artis suae vim atque industriam ponendam esse censuisse, haec, inquam, urgens Middletonus, subdit. *At vero longe secus, ac antiqui isti Pictores cogitaverint, rem tandem evenisse videmus. Etenim quum praestantissima quaeque eorum Opera in Tabulis singulis depicta VETUSTATE JAMDIU ABSUMPTA AC PENITUS DELETA SINT, hae tamen debiliores parietum Picturae, vel ipsis Ædium ruinis, atque ab omni damno conservatae, usque ad nostra tempora permanserunt. Ex his autem Picturae veteris reliquiis, nonnulli de Artis ipsius dignitate temere nimis judicantes, eam ad Sculpturae antiquae perfectionem nequaquam pervenisse contendunt. Sed ex arctissima artium harum conjunctione, ambas passibus semper aequis ad perfectionem suam progressas esse constat &c.* Vir immortalis, Scipio Maffejus, Parte III. Veronae suae illustratae, pag. 468. veterem Picturam memorat adhuc reliquam in pariete ex ruderibus Caesareae Domus ante non multos annos detectis existentem, quam ad exactissimas Graphidis leges depictam proteitatur; unde quam

 prae-

præstantes fuerint ejus etiam ætatis Pictores animadverti desideraret. Sed præclarissimarum de strage Picturarum dicemus postea. Interim barbara tot & immania post secula, post horridum millenarium ingenuas in artes bellum, non ex monumentis semper, sed ex analogia sæpe, cogimur prudenter judicare. Sculptoribus antiquis perfectam Optices cognitionem haud defuisse Columna evincit Trajana, sive innumeræ figuræ ab imo ad summum infinita symmetria, infinitaque mensura ac proportione in eadem insculptæ: præclarissimum evincit Musivum a Cardinali Fabretto haud multos ante annos feliciter detectum ac egregie illustratum; totque alia evincunt sive in Simulacris, sive in Anaglyphis adhuc reliqua Symplegmata: cur itaque synchroni illis Artificibus Pictores eadem Optices cognitionis perfectione carere debuissent? Veteres Scriptores hanc in Græcis Sculptoribus floruisse tradiderunt, nec eos errasse, aut vana prædicatione Artifices celebrasse illos, nobis certissime ostendunt quæ reliqua adhuc sunt Simulacra, fragmentaque Anaglyphorum, quæ miracula esse artis confitemur, quare obsecro Veterum de fide ac sinceritate dubitabimus Picturæ perfectionem artis per illa tempora testantium, etiamsi ob fragilitatem materiæ, ejusmodi testimonium Scriptorum ipsarum testimonio Picturarum minime roborare valeamus? Theoriam effectumque lucis & colorum adeo callent Artifices nostri, qui in hac fere sempiterna cœli caligine versantur; cur ea obsecro Græci Artifices tam beatis lucidisque versantes in plagis ignorassent? Ut vero non negatur, Opticen nostris ab Artificibus ad-
curatius

curatius exculptam, non desunt adhuc, qui pulcherrimam hanc cæli cavitatem longissime protensam ad horizontem, & inde deprimentem se ad verticem continuata curvitate pingi ac repræsentari sibi nostris a Pictoribus optarent.

Eo revera perfectionis ars Pictoria pervenerat in Græcia, ejus ut in laudibus Philosophi ipsi versarentur non modo, verum etiam ut illus ad operam confugerent, quo moralis præcepta vitæ clarius manifestarent. Dialogum habemus apud Xenophontem Libro Memorabilium III. Socratis cum Parrhasio Pictorum celeberrimo, in quo quærebatur, an ea, quæ neque symmetriam, neque partes, neque colores, nec eorum quidquam ad corpora quæ spectant, penicillo adhuc tamen exprimi significarique potuissent? Omnino autem fieri id posse respondebat Parrhasius: *immo etiam*, subdebat, *indoles quædam magnifica, & liberalis, & humilis, & casta, & prudens, & petulans, & turpis, pictoria opera exhibentur*. ἀλλὰ μὲν ϗ τὸ μεγαλοπρεπές τε ϗ ἐλευθέριον, ϗ τὸ ταπεινόν τε ϗ ἀνελεύθερον, ϗ τὸ σωφρονικόν τε ϗ φρόνιμον ϗ τὸ ὑβριστικόν. Quod judicium Xenophon ponens probatum Socrati fuisse, credere debuit veritati probatum fuisse ac sapientiæ. Allusisse tunc vero Xenophontem non dubito ad ipsius Tabulam Parrhasii, de qua ita Plinius Libro XXXV. Capite 10. *Pinxit Parrhasius Damonem Atheniensium argumento quoque ingenioso: volebat namque varium, iracundum, injustum, inconstantem, eundem exorabilem, clementem, misericordem, excelsum, gloriosum, ferocem, fugacemque, & omnia pariter ostendere*. Ad Philosophos ut revertamur,

tamur, nota satis est ejus, qui Socratem audivit Præceptorem, Tabula Cebetis, cujus exemplo Lucianus Tabulam excogitavit, in qua mercede conductorum vitam effinxit in Dialogo hujus argumenti; quemadmodum & Cleanthis altera, a Tullio Libro de Finibus II. & a Divo Augustino Libro V. de Civitate Dei Capite 20. memorata, ubi Philosophus ille, quum finem humani boni in sola virtute constituendum tueretur, pudorem illis ut incuteret, qui virtutes probabant quidem, sed eas voluptatis fine metiebantur, adeo ut hanc per se appetendam, virtutes vero propter voluptatem quærendas esse existimarent; Cleanthes, inquam, hanc verbis Tabulam pingebat: jubebat eos qui audiebant, secum ipsos cogitare pictam in Tabula voluptatem, pulcherrimo in vestitu & ornatu regali, in solio sedentem. præsto esse virtutes ut ancillulas, quæ nihil aliud agerent, nullum suum officium ducerent, nisi ut voluptati ministrarent, & eam tantum ad aurem admonerent, ut caveret, ne quid perficeret imprudens, quod offendere animos hominum, aut quidquam ex quo oriretur aliquis dolor, subderentque: *Nos quidem virtutes sic natæ sumus, ut tibi serviremus: aliud negotii nihil habemus.* Porro si Philosophorum summi, ipsique adeo Socratici atque Stoici, qui Dialectica plurimum valebant, quo animos commoverent vehementius, suorumque præcepta dogmatum fortius inculcarent, Picturæ saltem imagine uti cogebantur; magisque ac melius imagine colorum exprimi ea credebant posse, quæ pluribus verbis, & quammaxime ornata oratione vix significare satis potuissent, haud

erat

erit certe dubitandum, Rerumpublicarum Moderatores, ac superstitionis ethnicæ Pontifices, ad artis Pictoriæ vim, & ad Tabulas Deorum pictas confugisse, easque erexisse in Templis, cultuique publico proposuisse, ut ea non modo, quæ ad institutionem, & ad gestorum spectabant memoriam significarent, singularesque Numinum ac Heroum characteres, habitusque & indumenta corporum, & quidquid ad mysteria & ad initiationes pertinebat, exhiberent; verum etiam ut, quod magis penicillo, coloribus, ac parergis indigebat, nunc Numinum ac Heroum virtutes & præstantissima facinora, nunc eorum erotica sub honestatis velo indicari satagentes, quidquid ad idololatriam sive conservandam, sive commendandam, sive proferendam conferre poterat, oculis eorum, qui religiosa mente sacras conspexissent Tabulas subjicerent; sicque eos ad studium, & cultum, & honorem, & religionem erga Deos, & ad imitationem facilius traherent, ac voluptatem.



CAPUT VII.

Idem argumentum ex sacrarum Ædium Sepulcrorumque Heroum picturis, exque Pinacothecis sacris & privatis Gentilium illustratur.

ADeo verum est eos, qui Respublicas Gentilium moderabantur, sacrorumque Reges, Deorum cultum, picturarum usu & frequentia, conservatum, confirmatum, promotum & propagatum iri intellexisse, vulgusque conspectu imaginum actorumque Numinum pictura expressorum, magis magisque in idolatriam fuisse accensum, ut, quemadmodum jam diximus, auctis Græcorum præsertim civitatibus, & ingenuis artibus adultis, nullum prope conditum fuerit Templum, quin etiam fuerit picturis undique ornatum. Innumeræ id evincunt Templorum descriptiones, veterumque monumenta, ex quibus pauca seligemus. Tullius Libro in Verrem IV. de direptione dicens plurium sacrarum Ædium ab isto facta, hæc de picturis, quæ in Templo celebri Minervæ apud Siculos erant, habet: *Pugna erat Agathoclis Regis in Tabulis picta præclare. HIS AUTEM TABULIS INTERIORES TEMPLI PARIETES VESTIEBANTUR. Nihil erat ea pictura nobilius: nihil Syracusis quod magis visendum putaretur: ipse omnes Tabulas abstulit. Viginti & septem præterea Tabulas pulcherrime pictas ex eadem Æde abstulit, in quibus erant imagines Siciliæ Regum & Tyrannorum,* quæ

quæ non solum Pictorum artificio delectabant, sed etiam commemoratione hominum & cognitione formarum Pausanias in Messenicis, sive Libro Descriptionis Græciæ IV. *Templum erat Messenes*, inquit, *Triopæ filiæ. In postica Templi parte picti sunt qui Messenæ regnaverunt omnes ante Doriensium in Peloponnesum adventum, Amphiaraus videlicet, ac filii. Post Herculis vero filiorum reditum, Tesiphontes, unus & ipse de Doriensium Ducibus. De iis vero, qui Pylum tenuerunt, Nestor & ejus filii, Thrasymedes & Antilochus. Pictus est etiam Leucippus Amphiarei frater, & cum eo Ilaria est Phœbe, Arsinoe præterea, & ipse Arsinoæ natus, uti prædicant Messenii, Æsculapius, & Æsculapii filii, Machaon & Podalirius, quas omnes imagines pinxit Omphalion Niciæ Nicomedis filii discipulus.* Ἔςι δὲ Μεσσήνης τῆς Τριόπα ναός. γραφαὶ δὲ κατὰ τοῦ ναοῦ τὸ ὄπισθεν, κ. τ. λ. Strabo Libro VIII. *In Alpheoniæ Templo*, inquit, *Picturæ sunt Cleanthis & Agegonthis, Corinthiorum, quorum alter Trojæ excidium pinxit, & Minervæ nativitatem; alter Dianam gryphe præclare effido subvectam.* ἐν δὲ τῷ Ἀλφειωνίας ἱερῷ, κ. τ. λ. Hinc Virgilius Libro Æneidos I. Heroem suum spectantem inducit contemplantemque Templi Carthaginis picturas:

Namque sub ingenti lustrat dum singula Templo,
. . . . . . Videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque jam fama totum vulgata per orbem;
Atridas, Priamumque, & sævum ambobus Achillem.
Constitit . . . . atque animum PICTURA pascit inani.
Namque videbat, uti bellantes Pergama circum

Hac

Hac fugerent Graii, premeret Trojana juventus;
Hac Phryges &c.

Heinc & illa Statii Libro Thebaidos II.

Aurea tunc mediis urbis tibi Templa dicabo
Collibus . . . .
His ego majorum pugnas, vultusque tremendos
Magnanimûm effingam Regum.

Sed omnes exscribere veterum Templorum descriptiones, picturasque in eorum parietibus expressas, operis esset infiniti. Satis erit exemplum addere ex Herculanensis Templi picturis, mox derectis ac descriptis. Ea enim nostri est temporis felicitas, ut plura, quae Majores nostri infinita lectione, ac mente sola assequi vix poterant, nos oculis demum ipsis contemplari valeamus. In unius igitur Herculanensis Templi pariete Theseus spectatur, virtutum Herculis, & gloriae gestarum ab eo rerum aemulus, interempto ad pedes suos Minotauro, cui tamquam liberatori & victori fortissimo Athenienses Virgines, & pueri laetantes gratulantur. Theseus amiculo tantum rubro ex humero defluente, toro corpore nudus exhibetur, clavam manu gerens, quam anulus in digito exornat. Spectatur praeterea non longe pulcherrimum Labyrinthi Cretensis aedificium, e quo, Ariadnae Minois filiae, eximiae pulchritudinis feminae, consilio & ope se Theseus explicuit, & interempto monstro, incolumis ac victor evasit. Minerva huic praeclaro Thesei facinori adest, suaque praesentia

robus

robur & opem ei confert. In altero Templi pariete picta est Telephi, Herculis filii, educatio. Sedet femina, capite herbis & floribus redimito, baculum nodis implexum ferruginei coloris tenens, juxta quam sinistrorsum positus calathus, uvis, fructibus variis, & malis granatis refertus. Pone eam ad ejus pedes cerva puellum lactans cernitur. Post hanc adest Faunus fistula imparibus cannis canens. Ante feminam illam adstat vir corpore nudus, cum clava, arcu, & pharetra jaculis oppleta. Juxta hunc in medio hujus Tabulae aquila & leo miti specie spectantur. Hunc post virum cernitur alia femina, spicea corona caput ornata, forte Naupliam regionem designans, quae alteram feminam sedentem adloqui videtur. Puellus a cerva in Parthenio monte lactatus est Telephus, femina sedens est Auge ejus mater, ab Hercule vitiata, in Naupliam adducta, ubi eum peperit. Illustrantur haec in admirandis Antiquitatum Herculanensium Tomo I. Decadis I. Symbolarum a Cl. Gorio editarum, certissimoque confirmant exemplo Templa praecipue Graecorum fuisse picturis imaginibusque Heroum undique ornata. Ejusmodi vero Picturas etiamsi historicae cognitionis, morum, & ornamenti caussa illis in parietibus expressas, fuisse adhuc tamen ab idololatris saepenumero adoratas, certissimo ostendimus exemplorum testimonio, Capte Commentarioli hujus III. Illud heic addere solum placet, legenti Plinium, Pausaniam, Strabonem, Athenaeum, Veteres immo quoscumque hoc genus rei memorantes, pervium esse animadvertere, celebrius Pictores unam aut alteram Deorum, vel Heroum, ima-

ginem in hoc vel illo Templo, unam aut alteram in hac vel illa sacra Æde expressisse dictos fabulam: rarius autem universum Templum fuisse ab eodem Artifice picturis decoratum. Sic, ut exemplo utamur, Aristophanes in Acharnensibus Actu IV. Scena III. Dicæopolim loquentem inducit:

O Veneris, atque Charitum socia: litium
Compositio decens:
Quam tibi venusta facies? quid ita tecta eras?
Quomodo Cupido me aliquis tibi jugaverit
Qualis hic, in Æde, roseo capite pictus est?
Ὥσπερ ὁ γεγραμμένος, ἔχων στέφανον ἀνθέμων;

Ad quæ adnotat Scholiastes, Zeuxidem Pictorem in Templo Veneris, quod Athenis erat, Cupidinem pulcherrimum pinxisse rosis coronatum. *Ζεῦξις ὁ ζωγράφος ἐν τῷ ναῷ τῆς Ἀφροδίτης ἐν ταῖς Ἀθήναις, ἔγραψε τὸν ἔρωτα ὡραιότατον ἐστεμμένον ῥόδοις.* Ejusmodi sexcenta passim reperiuntur. Jam vero, si Picturæ in parietibus Templorum veterum expressæ, ad ornatum unice spectassent, nonne verisimile fuisset, figuras fabulasque Numinum ac Heroum omnes aliquo in Templo coloribus expressas, ad eumdem spectasse Pictorem, eodemque fuisse penicillo, generatim loquendo, elaboratas? Ejusmodi erat Zeuxis, ut in Templo ab aliis Pictoribus picto & ornato aliquam certe non adjecisset ipse, veluti parergon, imaginem & figuram: quandoquidem de ipso scripserit Lucianus in Antiocho: *Zeuxis Pictorum præstantissimus popularia & communia non pingebat, aut admodum*

dum certe pauca, puta **AUT DEOS, AUT HEROAS**, *aut pugnas*, τὰ κατὰ οὐκ ἔγραφεν, ἢ ὅσα πάνυ ὀλίγα, ἥρωας, ἢ Θεοὺς, ἀεὶ πολέμους, *sed insolens & peregrinum proferre tentabat*: pulcherrimum igitur Cupidinem Athenis in Æde Veneris quum pinxerit, cultus id potius caussa fecisse credendus est, quam ad solum Ædis ornamentum: quod & de aliis clarissimis Pictoribus æque cogitandum, quorum tamen opera sparsim diversis in Templis prostasse memorantur. Nostri sane mores esse valent rei, qua de agimus, exemplum. Sexcentæ Picturarum prostant, quæ apud nos sunt, in hodiernis sacris Ædibus descriptiones. Difficile erit parietum picturas ad ejusdem ornamentum Templi, vel quæ universam Mysteriorum cælestium, aut aliquorum Martyrum exhibere debeant historiam, facta, quin maximam saltem partem, ac universim, ab uno eodemque penicillo proditæ non sint. Ex opposito multæ dum celebrantur Templi alicujus Tabulæ, diversis tamen a Pictoribus elaboratæ; vel dum ejusdem opera Artificis diversis in Templis recensentur, monitore nemo indiget, statim ut intelligat, Tabulas ejusmodi, sive Pictoris unius pluribus in Templis, sive uno in Templo plurium Artificum, religioni cultus gratia, & ad honores religionis consequendos, illic fuisse collocatas.

Ethnicorum autem de cultu erga sepulcra Heroum dubitandum non est, quum res immo sit notissima, quare Prudentius Libro contra Symmachum I.

Et tot Templa Deûm Romæ, quot in urbe sepulcra
Heroum numerare licet, quos fabula Manes
Nobilitat, noster populus VENERATUS ADORAT.

In sepulcris autem pingi solitas fuisse Heroum imagines colligere quisque potest ex Pausania tot eorum sepulcra describente. Adnotat ille in Corinthiacis, sive Libro Descriptionis Græciæ II Xenodochis monumentum non eadem quidem constructum fuisse forma, qua reliqua Sicyoniorum sepulcra, verum adhuc *in eo, in quo pingi solebat, locum relictum fuisse*, ET PICTURAM *sane, ut aliam quamcumque reliquam fuisse, quæ spectaretur, dignissimam.* γραφὴ δὲ εἴπερ ἄλλη τὶς, ϗ αὐτὴ ἐςὶ θέας ἀξία. Docuerat jam vero in Atticis, sive Libro I. idem Auctor, multos homines, post mortem, ceu Heroas, fuisse divinos honores a Græcis consequutos, eisque aras veluti Diis consecratas. Plurimos ejusmodi enumerat, quorum non tumulos modo, sed & pictas imagines recenset in illis expressas. Sic de Heliodori Aliensis apud Cephisidorum sepulcro agens, PICTAM EJUS IMAGINEM iisdem in Atticis commendat. τούτου γραφὴ ἰδεῖν ἐςὶ. In Arcadicis autem, sive Libro Descriptionis Græciæ VIII Peliæ filiarum monumenta describens: *Nomina Virginum*, inquit, *Poetarum indicavit nemo, eorum quos ipsi legimus. Micon certe Pictor*, Μίκων δὲ ὁ ζωγράφος *earum imaginibus Asteropen, & Antinoen adscripsit.* In Phocicis, sive Libro decimo ait Polygnotum pinxisse Neoptolemum nondum desinentem Trojanos cedere, *quod totum ejus argu-*

argumentum Picturæ, *Neoptolemi maxime TUMULO convenire voluit.* ὅτι ὑπὲρ τοῦ Νεοπτολέμου τὸν τάφον ἡ γραφὴ πᾶσα ἔμελλεν αὐτῷ γενήσεσθαι. Ut alia prætercam sexcenta fuse ab eodem Pausania descripta cum depictis Heroum imaginibus sepulcra & monumenta. Neque hujusmodi etiam rerum exemplum deest in Herculanensibus Antiquitatibus, inter quas sepulcrum, in quo expressus cernitur Mercurius, alis instructus, altero brachio sustinens puellum, quem suscipit inter ulnas femina prope eum sedens: quod emblema referre Mercurium, qui puerum Bacchum Leucotheæ tradit lacte nutriendum, censent nonnulli in admirandis Antiquitatum Herculanensium descriptis, & illustratis. Heroas autem illos sive majore, sive minore cultu donatos fuisse liquet: alicubi quoque illis erecta demum Templa, & oblata sacrificia, quemadmodum Lex præcipiebat inter collectas a Pottero Libro Archæologiæ Græcæ I. Capite 26. qui ex talium cultu tumulorum atque imaginum, originem Templorum cum infinitis aliis repetendam docet Libro II. Capite 2. ad quod facit Statii carmina fussent Libro Sylvarum III. ubi lacrymas Hetrusci referens in morte Patris, has filii erga eundem preces exscribit:

Tu custos dominusque Laris: tibi cuncta tuorum
Patebunt ego rite minor, semperque secundus parebunt
Assidue libabo dapes, & pocula sacris
Manibus, effigiemque colam te lucida saxa,
Te similem doctæ referet mihi LINEA CERÆ.

Ut

Ut ad Templa Deorum revertamur, erant ea tantis Numinum Heroumque picturis referta, ut Pinacothecæ prope viderentur; quin & aliqua adjunctas habebant facras revera Pinacothecas: Strabo enim Libro Geographiæ IX. *In Petreo*, inquit, *Ædes sunt Jovis Servatoris: porticus autem parvi: sed TABULAS CONTINENT MIRABILES*, ἔχει πίνακας θαυμαστοὺς, *illustrium opera Artificum: pars, quæ sub dio aperta est, Statuas*. Libro autem XIV. clarius idem Auctor in rem nostram: *Heræum antiquum Junonis fanum, nunc PINACOTHECA* Πινακοθήκη ἐστὶ *sive Tabularum Armarium est. Præter vero Tabularum multitudinem ibi positarum ALIÆ SUNT PINACOTHECÆ* ἄλλαι Πινακοθῆκαι, *sive alia Tabularum repositoria, & sacella quædam plena veterum Artificiorum.* Pausanias in Phocicis, sive Libro X. in descriptione Delphorum scripsit: *Super Cassotidem Ædificium quoddam est: in eo Picturæ aliquot Polygnoti, QUAS CNIDII DEDICARUNT*. οἴκημα γραφὰς ἔχον Πολυγνώτου, ἀνάθημα μὲν Κνιδίων. In Arcadicis hæc demum: *Antinoi etiam religio divinis est honoribus consecrata. Est Antinoi Templum Mantinensibus recentissimum, quod præcipua quadam cura exornavit Hadrianus Imperator. Antinoum ego viventem non vidi, Statuas certe AC PICTAS IMAGINES sum conspicatus. ÆDES IN GYMNASIO EST, in qua Antinoi Signa servantur, tum reliquis ornamentis, tum lapidum nobilitate, tum vero PICTIS ANTINOI IMAGINIBUS insignis. Earum imaginum multæ Liberi Patris insignia præferunt.* ἐν δὲ ἀγάλμασιν εἶδον, καὶ ἐν γραφαῖς.... Οἶκος δὲ ἐστὶ ἐν τῷ γυμνασίῳ....

καὶ

καὶ ἀνιδόντι ἐς τὰς γραφάς. Sane fieri non poterat, quin ejusmodi tum Statuis, tum pictis Antinoi imaginibus uterentur Mantinenses non modo ad ornanda magis Templa in ejus ludis ac solemnitatibus ac festis, verum etiam in solemniis ac ludis Liberi, sive Bacchi, vel Apollinis, quos effigies illæ per insignia ac symbola repræsentabant.

Qua enim ratione Templa diebus festis solerent exornari docet nos Strabo Libro VIII. dedicationem Templi Fortunæ narrans Romæ factam; *quum enim Lucullus*, inquit, *Bonæ Fortunæ Templum, & Porticum adornare voluisset, Mummium rogavit* (Corinthi Victorem, qui innumeras sacras Tabulas inde abstulerat,) *UT TABULAS, QUAS HABERET, SIBI UTENDAS DARET AD ORNATUM TEMPLI*, ὡς κοσμήσων τὸ ἱερὸν μέχρι ἀναδείξεως, εἶτ' ἀποδώσων, *pollicitus se a dedicatione eas redditurum.* Eademque ratione Theatra ornabantur, ac Tentoria, quemadmodum ex Athenæo discimus Libro Deipnosophistarum V. Capite 6. solemnitatem describente a Rege Ptolemæo Philadelpho celebratam. Tentorium siquidem decorati instar Templi construi jusserat ille Rex. *In Tentorii vestibulo marmoreæ animantium effigies jacebant primariorum Artificum opera centum, ac mediis inter ea Simulacra locis PICTORUM SICYONIORUM TABULÆ*, πίνακες τῶν Σικυωνικῶν ζωγράφων, *ac vicissim in interstitiis ad vivum rerum variarum effigies expressæ, tunicæque aureæ & paludamenta pulcherrima, quædam intextis veris Regum imaginibus, quædam fabularum delineationibus, ac descriptionibus elaborata. Super hæc scuta alternis aurea & argen-*

argentea circumaffixa fuere &c Unde nam vero in solemnius celebrandis, & ad Templa rite in festis exornanda, Tabulas traxissent illas, nisi ex Pinacothecis sacris, in quibus commodum adservabantur?

Romani, Asia & Græcia devictis, Templa & ipsi sua Tabulis Deorum ac Heroum pictis, quas victricem in urbem ex triumphis & spoliatis populis detulerant, exornavere. Qui post eversas Corinthum & Achajam Romanorum de rebus agunt Scriptores, nil magis agunt, quam innumera præstantissimaque celebrare Sculpturæ Picturæque, ac ceterarum artium opera, quæ in sacris Ædibus Romanorum visebantur. Toti in æmulandis superandisque hac in re Græcis Romani postea fuere, admirati siquidem magnificentiam artesque & opes tot Templorum, quæ victas apud Gentes fuerant, nil inferius in urbe Regina urbium oportere esse constituerunt. Quod plures tamen frustra pertentaverant, feliciter absolvit Vespasianus, quem post triumphos, firmatamque Romani Imperii felicitatem & gloriam, Paci Templum ædificasse narrat Flavius Josephus Libro de Bello Judaico VII. Capite 5. illudque cito admodum, & pulchrius meliusque omni opinione perfecisse; magnis enim opibus largiter ea in re usum, ac priscorum etiam præclara omnia adhibentem, *PICTURIS ac Statuis pulcherrimis illud adornasse*, *γραφαῖς τε ϗ πλαστικοῖς ἔργοις αὐτὸ κατεκόσμησε*: omnia enim in illud, quod Pacis appellabatur Templum, collata ac disposita fuisse, quorum studio visendorum homines antea per totum terrarum Orbem vagabantur. Illustris Winckelmannus Tomo II. Historiæ Artium apud Veteres Parte II. Sectio-

Sectione IV. §. 7. hunc Flavii respiciens locum, in ea versatur opinione, Tabulas illas pictas proprie non in Templo, sed superioribus in Aulis, ad quas per gradus, quorum reliquiæ adhuc supersunt, ascendebatur, fuisse collocatas: Vespasianum propterea tot Tabulis ac Picturis celeberrimam ad illud Templum, Græcorum more, Pinacothecam instituisse ac ornasse. Hæc dum memoramus, animum subit ingens ac præclarum facinus Friderici Cardinalis Borromæi, Mediolani Archiepiscopi, sanctitate & doctrina celeberrimi, qui haud procul a maximo amplissimæ illius urbis Templo, ut illud, antiquorum more ac exemplo Principum & Regum, clarius Orbe toto redderet, Ambrosianæ in Ædibus Bibliothecæ ad id ipsum exstructis, pretiosissimas quascumque singularissimo studio ac immensis comparare sibi potuit expensis, collocari jussit nobilissimorum suæ ac superioris ætatis Pictorum Tabulas, Statuasque, ac Typos ex illustrioribus exemplaribus expressos, quibus plurima ab interitu & oblivione vindicaret, quibusque insignem, quæ adhuc visitur, Pinacothecam, & Ambrosianum constituit Museum, quod ipse demum in Opere hujus argumenti summo judicio, exquisitaque doctrina, & ingenuarum peritia Artium descripsit ac illustravit, celebertimosque Artifices nominis immortalitate decoravit. Ad Ethnicos ut redeamus, appensis adhucdum ipsis in Pinacothecis Deorum Heroumque Tabulas a superstitiosioribus saltem fuisse adoratas dubitandum non est; quippe ad morem alludens illum in Satyrico Petronius scripsit: *In Pinacothecam perveni vario genere* TABULARUM *mirabilem, nam &*

 Zeuxi-

Zeuxidos manus vidi, nondum vetustatis injuria victas, & Protogenis rudimenta cum ipsius naturæ veritate certantia, non sine aliquo horrore tractavi. Nam etiam Apellis, quam Græci Monocromaton appellant, ETIAM ADORAVI. Illinc candidus Hylas repellebat improbum Najada. Damnabat Apollo noxias manus, lyramque resolutam modo nato flore honorabat &c. Ad illorum, inquam, superstitionem quam bene heic alludit Petronius, qui vetere adorandi ritu, manui osculum infigentes, aut curvantes caput, pictas illas Numinum imagines, sive Tabulas vel in Pinacothecarum parietibus suspensas, religiose salutabant! Superstitiosum enim ejusmodi actum verbis *etiam adoravi* Petronium significare voluisse, præter vim vocis ab eodem aliis in locis eumdem in sensum usurpatæ, sexcenta probant testimonia a Mureto, Beyero, aliisque allegata.

Neque vero publicæ tantum, & ad Templa pertinentes, fuerunt apud Ethnicos Pinacothecæ, sed quum demum libuit parietes totos pingere, ut phrasi utar Plinii, tunc sive apud Græcos, sive apud Romanos, saltem ditiores, cubicula fuere picturis Deorum Heroumque acta repræsentantibus ornata; cujus fidem rei facit vel irridendo Lucianus περὶ τοῦ οἴκου, Conclave Ædis ea ratione, qua suo pingebatur tempore, data opera & proprie his verbis describens: Igitur ad dexteram intranti Argolicæ fabulæ Æthiopicus affectus permixtus est. Perseus cetum interficit, & liberat Andromedam, uxorem paullo post sibi habiturus, abitque illam ducens. Agit hic obiter in suo ad Gorgonas volatu . . . . . . In brevi autem

rem Tabella, multa expressit Artifex, pudorem virginis, ac metum &c. . . . . . Deinde post hanc imaginem alia Tabella picta est plena justitiæ, μετὰ τὴν δὲ εἰκόνα, ἑτέρα γράμμα γέγραπται δικαιότατον. Juvenes duo sodales Pilades Phocensis atque Orestes . . . . . Speciose illud commentus est Pictor, quum impium quod fuit in hoc facinore ostendit modo, & veluti perpetratum jam prætercucurrit: sed immorantes pinxit juvenes in cæde adulteri. Post hæc vero formosus Deus est, & adolescentulus pulcher . . . . . . Post ista iterum Perseus, regensque Perseum Minerva &c. Εἶτα μετὰ ταύτην ἄλλη Ἀθηνᾶ, οὐ λίθος αὕτη γε, ἀλλὰ γραφὴ πάλιν. Tunc post hanc Minerva alia, non marmor illa quidem, sed Pictura rursus. Persequitur illam Vulcanus amator illa se subducit, atque ex illa persequutione nascitur Erichtonius. Ταύτῃ ἕπεται παλαιά τις ἄλλη γραφή. Hanc sequitur vetus alia Pictura. Cœcus Orion fert Cedalionem, hic vero insidens illi viam ad lucem monstrat: oriensque Sol cœcitati illius medetur: ac Vulcanus e Lemno rem inspicit. . . . . Ultima Medea picta est, zelotypia inflammata, pueros duos torvum adspiciens, & dirum quiddam animo agitans &c. . . . . Speciem heic habes cubicularium Pinacothecarum, sive adumbrationem imaginum, quas in Conclavibus suis pingi curabant Gentiles, quare frequens postea ad parietes sic depictos, ut inquiebat Lactantius, respicientes, Deos Heroasque illos fervido non semel invocabant religionis sensu, & ad ipsorum opem & præsidium confugiebant.

Animadverterat olim Lilius Gregorius Giraldus Syntagmate XV. Historiæ Deorum, duo habuisse Veteres Lararia, in quorum altero Deorum, ut inquiebant, immortalium a Diis immortalibus progenitorum imagines, in altero effigies Divorum, qui ex hominibus in Deorum prolati fuissent censum, venerarentur: quos utrosque Deos, prout ferebat occasio, & salutabant, & floribus thureque, ac cetero thymiamate, & interdum quoque victimis, aliisque rebus, sibi suisque propitios reddebant. Revera Tacitus Libro Annalium IV. Agrippinam, dum Claudia Pulchra impudicitiæ, veneficiorum, ac devotionis postularetur, ad Tiberium ita loquutam narrat: *Agrippina semper atrox, tum & periculo propinquæ accensa, pergit ad Tiberium, & forte SACRIFICANTEM PATRI reperit, quo initio invidiæ, non ejusdem, ait, mactare Divo Augusto victimas, & posteros ejus insectari? Non in EFFIGIES MUTAS divinum Spiritum transfusum, sed imaginem veram cælesti sanguine ortam intelligere discrimen, suscipere sordes: frustra Pulchram proscribi &c.* Tiberium tunc coram picta Augusti imagine sacrificium obtulisse, vel Agrippinam Augusti pictam Tabulam denotare voluisse, videntur innuere *Æffigies illæ mutæ*: quippe quod *imaginem mutam* significare proprie, non Statuam, sed repræsentationem alicujus solis coloribus expressam, Scriptores plurimi contendant. Lampridius in vita Alexandri Severi: *Usus vivendi eidem hic fuit. Primum, ut si facultas esset, idest, si non cum uxore cubuisset, matutinis horis in Larario suo, in quo & divos Principes, sed electos, ET ANIMAS SANCTIO-*

CTIORES, *in queis & Apollonium, & quantum Scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham, & Orpheum,* ET HUJUSMODI DEOS *habebat, ac Majorum effigies, rem divinam faceret.* Casaubonus ad hunc locum interpretatur, aut sacrificando, quod proprie rem divinam facere dicitur, vel adorando solum, & incensum ponendo: qui mos erat plurimorum.

Sunt qui Lararium non adeo antiquum fuisse suspicantur, tum quod vox hæc primum in Lampridio compareat; tum etiam quod in Ædium descriptione a Vitruvio facta, talis earum pars non recenseatur. Ast ut nomen fuerit illam per ætatem recens, res utique antiquior apud Romanos fuit; quippe Tullius & in Verrem, & in Catilinam, & in Epistolis, *Sacrarii* mentionem facit, quod privatis in Ædibus extabat. Exactam tamen, & omnibus numeris absolutam earum cognitionem rerum habere in præsens, impervium ac difficile arbitramur, quum nec eadem fuerit Ædium structura apud Græcos quæ apud Romanos fuit; nec eadem diversis ætatibus apud utrosque, variata rerum ac morum & Civitatum fortuna & forma; dum si res nostras leviter circumspicimus, ita medii spatio seculi Ædium structura variari solet, ut si ad vitam redirent Avi nostri, domos suas amplius cognoscere non possent. Scopo itaque nostro satis sit oportet, Ethnicos, sive domestico in sacrario, sive extra illud, imagines etiam pictas tum Numinum, tum Heroum fuisse veneratos, ad quod pertinet Plinii Secundi tum Epistola ad Cornelium Titianum Libro I. ubi scripsit: *Est enim omnino Capitoni in usu* CLAROS COLERE, MIRUM

EST

EST QUA RELIGIONE, *quo ſtudio*, *imagines Brutorum*, *Caſſiorum*, *Catonum*, *domi*, *ubi poteſt*, *habeat*, tum etiam Libro Epiſtolarum III. ubi de Silio Italico ita ad Caninium habet: *Erat enim φιλόκαλος uſque ad emacitatis reprehenſionem*, *plures iiſdem locis villas poſſidebat*, *adamatiſque novis*, *priores negligebat: multum ibi Librorum*, *multum Statuarum*, *multum Imaginum*, *quas non habebat modo*, *VERUM ETIAM VENERABATUR*. Simoniani, Carpocratiani, Gnoſtici, ceterique priorum temporum Hæretici, veluti in Sacrario, ſive Larario imagines pictas coluiſſe viderentur. Etiamſi quippe verius Ethnici, quam Chriſtiani forent, neſcio quo tamen eclectiſmo, ſive ſyncretiſmo ita laborabant, ut novam veluti ex omnibus illorum temporum religionibus religionem ſibi conſtituerint, quam tamen auctoritate publica non approbatam occulto, vel domeſtico eos exercere cultu opus erat. Talem ad diſciplinam igitur referenda ſunt, quæ jam adduximus Epiphanii verba de Carpocratianis, quos habuiſſe teſtabatur DEPICTAS COLORIBUS IMAGINES εἰκόνας ζωγράφους διὰ χρωμάτων, quas erexerant, ſuſpenderantque, quaſque ſimul adoraverant, & ad quas Gentilium ritu offerre ſacrificia conſueverant. Sic & Irenæus Libro contra Hæreſes I. Capite 24. de Gnoſticis dixerat: *Etiam imagines*, *QUASDAM DEPICTAS*, *quaſdam autem de reliqua materia fabricatas habent: & eas coronant*, *& reliquam obſervantiam*, *SIMILITER UT GENTES*, *faciunt*. Auguſtinus Hæreſi VII. de Marcellina Carpocratis Socia illud non omittit: *Colebat imagines Jeſu*, *& Pauli*,

&

& Homeri , & Pythagoræ , *ADORANDO* , *INCENSUMQUE PONENDO.* Animadvertendum hic vero singillatim, quod Hæresi XXI. de Simonianis scripserat Epiphanius, eos Hæresiarchæ imaginem SUB SPECIE JOVIS adorasse, καὶ προσκυνεῖν αὐτὸν ἐν εἴδει Διὸς, Helenæ autem suæ SUB SPECIE MINERVÆ ἐν σχήματι Ἀθηνᾶς, qua de re similiter fidem Augustinus facit in Libro de Hæresibus, ubi tales Simonis atque Helenæ imagines, TANQUAM DEORUM SIMULACRA, fuisse dicit publice adoratas, denique & Theodoretus Libro I Hæreticarum Fabularum Capite 1. his verbis *Et quum hujus quidem* (Simonis) *IN JOVIS FIGURAM, HELENÆ AUTEM IN SPECIEM MINERVÆ imaginem efformassent, his thura adolebant, ac libabant, ac tanquam Deos adorabant.* καὶ τούτου μὲν ἐν τύπῳ Διὸς εἰκόνα κατασκευάσαντες, τῆς δέ γε Ἑλένης ἐν τῷ εἴδει Ἀθηνᾶς, κ. τ. λ. quod utique ethnicum magis morem, & ritum, & cultum omnino arguit, quum suorum imagines sive Heroum, sive etiam Majorum, Deorum Dearumque effigie forma & specie, & symbolis repræsentare & colere soliti essent Gentiles; quod non tantum ex Nummis patet, sed ex veterum testimonio Scriptorum. Sic Athenæus Libro Deipnosophistarum XII inquit, Pisistrati imaginem, quæ Athenis visebantur, sub facie & specie Bacchi latuisse, τὸ Ἀθήνησι τοῦ Διονύσου πρόσωπον. Sic Marcus Tullius in Oratione pro Flacco: *Mithridatem, Deum illum Patrem, illum Conservatorem Asiæ, illum Evium, Nysium, Bacchum, Liberum, Græci nominabant*: quod ad imitationem Demosthenis prolatum

fuisse

fuisse a Tullio adnotat Petrus Victorius, & post ipsum Muretus Libro variarum Lectionum I. Capite 2. Sic denique Statius Libro Sylvarum V. Carmine 1. quippe Abascantii pietatem in Priscillam uxorem laudans, & eam primum de marito alloquens, ita canit:

. . . . . . *Namque egregia pietate meretur,*
Ut vel APELLÆO vultus signata colore,
PHIDIACA vel nata manu, reddare dolenti.
. . . .
Hic te Sidonio velatam molliter ostro
Eximius Conjux . . . .
Composuit.
. . . *Hoc ære CERES, hoc LUCIDA GNOSSIS,*
Illo MAJA tholo, VENUS hoc non improba saxo.
Accipiunt vultus non indignata decoros
NUMINA. Circumstant famuli consuetaque turba
Obsequiis, tum rite tori, mensæque parantur
Assidue: domus ista, domus, quis triste sepulcrum
Dixerit?

Et vero, insanum quidem erat, mortales sub imaginibus Deorum, ipsosque adeo Deos etiam adorare; sed insanius adhuc, sub religionis specie, ea proponere ac erigere, quæ religioni erant infinitum opposita & adversa: quod nonnullos tamen Ethnicos præstitisse contestatur Clemens Alexandrinus in Admonitione ad Gentes, dum ita fatur: *Ethnici bene multi, omni pudore deposito, domi DEPICTOS volunt suorum Numinum πεχητιασμους. Pictis enim talibus Tabulis, EISQUE IN ALTO SUSPENSIS,*

men-

mentem animumque adjicientes, thalamos ornant impudicitia, ***EJUSMODI INTEMPERANTIAM EXISTIMANTES PIETATEM,*** *τὴν ἀκολασίαν εὐσέβειαν νομίζοντες, & in cubile decumbentes, ipsis in amplexibus Venerem illam nudam respiciunt, quæ vincta est propter amplexus .... Cujusmodi sunt aliæ quoque vestræ Picturæ? Panisci nudi, nudæque puellæ, & ebrii Satyri, ϗ μέθην ἐπιτείνει ....* Prosequitur nempe Clemens ceteras privatarum veluti Pinacothecarum infames recensere Picturas, atque Tabulas, QUAS ETHNICI PROBABANT, ἀναδεχόμενοι τὴν γραφὴν, quasque Gentilibus objicere æquum ipsi, ætateque illa infelici erat, nobis vero, inter Christianæ innocentiæ & pudicitiæ Sectatores versantibus, omittere, necessitas, religio, ac pudor cogit, denique ita Orationem Clemens claudit: *Hasce autem totius libidinis & impudicitiæ figuras ita depictas erectasque retinere non erubescitis,* ***PERINDE AC SI VESTRORUM NUMINUM IMAGINES DOMI CONSECRAVERITIS,*** *figuras gestusque Philenidis æque depictas conservantes, ac certamina Herculis.* Cum Alexandrino Clemente consonabat Cyrillus pariter Alexandrinus Libro adversus Julianum VI. ubi Pinacothecam, qualem habere Gentiles soliti erant, describens, gaudere eos dicebat, suis habere pictum in Conclavibus Jovem phrygio cum adolescente, deinde Alcumenam, postea Semelem muliebri cum Choro: aliis depictum in Tabulis Neptunum cum Amyone, Ellope, Hippothoe, ac ceteris, quæ morem ipsi gesserant, adiecto lydio adolescente Pelope: aliis in Tabulis Venerem & Daphnem, suisque cum amoribus Apollinem &c.

Verum enim vero dixerit fortasse quis: quonam pacto ejusmodi picturatum monstra componi cum fine potuissent, quem sibi Legumlatores, Pontifices, ac Magistratus constituisse diximus in proponendis imaginibus, non modo ad fovendam pietatem, Deosque propitiandos, sed etiam ad heroicarum memoriam actionum conservandam, ad homines a vitiis corrigendos, ad conciliandum virtutis amorem, & ad humaniores mores inducendos? Quasi vero Idololatria, cultusque idololatricus, omnibus nexum partibus systema constituissent, & non potius Babylonicon effecissent Chaos, in quo aliud ad virtutem, aliud ad vitia, nonnulla ad utramque, & ad neutrum nonnulla impellebant. Quid sibi volebant, obsecro, tot impudicissima mysteria, sive ritus atque caeremoniae Gentilium, a Sanctis Patribus, a Philosophis, a Poetis praesertim ethnicis repraesentatae: barbara tot festa ac sacrificia, quae insanis celebrabant ritibus, & inhumaniter prorsus offerebant? Num talia ad virtutem, ad humanitatem, ad bonos mores ducere fortasse poterant, vel cum illis conferri & componi legibus, moribus, ritibus & caeremoniis, quae revera virtutem honestatemque insinuabant? Nil profecto minus. Middletonus in Antiquitatibus suis ad Tabulam III. aliquibus Legumlatoribus tribuendum existimabat, quod ejusmodi propudia, & impudicas in Sacris Tabulas Ethnici haberent, quum enim illi suarum opes atque incrementa urbium, ab hominum multitudine, civiumque numero pendere sibi persuasissent, non sine consilio quodam & civili & politico, obscoena celebrari Sacra, obscoenasque proponi Deo-

Deorum Tabulas non permisere tantum, verum etiam voluerunt, ut Cives nempe sui, illis visis, furore quasi fanatico correpti, religionisque pariter ac libidinis stimulis succensi, ad sobolem procreandam fortius validiusque incitarentur. Apud vile quidem vulgus per inhonesta phallorum fascinorumque propudia id obtinere callidissimi mortalium poterant, sed apud elegantioris conditionis homines elegantiora usurpanda erant instrumenta & media, Picturæ scilicet ac Tabulæ, quæ Deorum, Heroumque erotica & συνουσίας exhiberent.

Interim Sanctos Patres, & Ecclesiasticos Scriptores, neque pro Sectarum oppositarum odio & more calumniatos heic plurimos illos Ethnicos fuisse, neque exaggerasse, fides nobis faciunt συνουσιῶν σχήματα ab omnibus prope Ethnicis Scriptoribus, heu nimium feliciter! descripta. Sic Praxagora mulier in Concionatricibus Aristophanis:

Σοὶ γὰρ μόνῳ δεδήλωκ' αἰκότως ἐπεὶ
Κἀν τοῖσιν δωματίοισιν Ἀφροδίτης τρόπων
Πειρωμέναισι πλησίον παραστατεῖς,
Χορδουμένων σωμάτων, κ. τ. λ.

Quæ commentatur Tanaquillus Faber Epistola LXIV. Libri II. ne heic Πελαγεῶν, Plautique, Terentii, Ovidii, Propertii, ac Martialis carmina exscribam, juxta quæ modo Tabula in pariete picta, ubi Aquila Catamitum rapit, aut Venus Adoneum, modo Pictura Jovem repræsentans quo pacto Danae misisse ajunt quondam in gremium imbrem aureum, modo

 alia,

alia, super quibus obtendere velum omnes jubent leges, quemadmodum super Philenidos, Elephantidosque, Hermogenis Tarsensis, Cytenes, & Astyanassæ nominibus impuris, nec non ceterorum, qui, sicut Carragioli fratres, elapsum ante seculum ea coloribus expressere, quæ &c. Talia omnia heinc facessant, non absque horrore maximo & fastidio ea solum de caussa hoc loco nominata, ne Sancti Patres nimio idololatriæ odio Ethnicis tribuisse viderentur, de quibus oporteret dubitare. Utinam & Suetonius in Tiberii vita de Meleagro & Atalanta in Parrhasii Tabula depictis tacuisset, Tiberiumque eam in cubiculo dedicasse, numquam memorasset. Propudia ea tamen omnia certum, nisi fallimur, nobis suppeditant credendi ostendendique Ethnicos sua pictis in Tabulis coluisse Numina argumentum. Nam etiamsi Tabulæ ejusmodi ac Pinacothecæ in finem proferendæ propagationis humani generis fuissent institutæ, ast insanæ adhuc superstitionis caussa plurimos Ethnicos eas æque coluisse tradunt Christiani Patres, atque ante illas Tabulas τὸ τῆς σωτηρίας ἔργον, ceu pietatis prope actum, eos edidisse querebantur. Itaque, si cum tot Scriptoribus profanis adeo consonant descriptiones Patrum, ideoque fide digni illi sunt, dum iisdem pene, quibus Græci Romanique Vates verbis, de Tabulis ac Picturis illis, sive Pinacothecis imaginum Deorum, verba faciebant, cur fides eis negaretur, dum lamentabantur adeo, ac subdebant, eo Gentiles nonnullos dementiæ devenisse, ut PICTURAS EJUSMODI consecrare, & colere minime erubuerint, idque Religioni deputaverint,

EXI-

EXISTIMANTES PIETATEM, quod oportebat esse labis animi, ac teterrimæ cæcitatis argumentum? Nos tamen de publico solliciti Tabularum pictarum apud Gentiles cultu, privatis Pinacothecis, & Cubiculis obiter animadversis, ad Picturas revertimur in Templis, vel publica religione & consuetudine adoratas.



CAPUT

CAPUT VIII.

Gentilium Scriptorum testimoniis & exemplis publicus Picturarum cultus apud Gentiles confirmatur.

T[illegible] opinione a nostra diversa versaretur, dubitandum quidem non esse, picturas Numinum ac Heroum, ad idololatriam sive conservandam, sive commendandam, atque proferendam summopere contulisse; non confundendum tamen adhuc esse objectum ad idololatriam excitans, cum idololatriæ ipsius, sive cultus idololatrici objecto. Nonne & Augustanæ Confessionis Asseclæ, fortasse subdet, sacras Tabulas etiam in Templis ad historiam rerum oculis exhibendam, & ad exemplum, quod imitemur, facile admittunt, quin eas tamen coli aliqua ratione permittant & sinant? Nonne quarto quintoque seculo id æque factum a sanctissimis Patribus Protestantes, quamvis perperam, contendunt? Quare id vero? Quia necessarius nexus non est inter imaginem, quæ ad objectum cognoscendum excitet, & imaginem quam propter objectum in ea expressum, veneremur. Etiamsi vero Sacræ Literæ, Sanctique Patres, de cultu imaginum Pictarum expressissime dixerint, regeret fortasse aliquis, primas de Judæis tantum idololatris semel iterumque sermonem instituisse, Patres vero posse inculpate deferi, propterea quod non sit hæc quæstio ex illo genere, ut si recedatur aliquantum a Veterum mutis, eo rei

possi-

possimus peragi contemptæ Antiquitatis. In medium itaque proferenda consequetur aliqua Gentilium ipsorum testimonia, certam quæ fidem faciant cultus picti Deorum Tabulis tributi, quæque ita rem denique conficiant, ut nulla supersit ratio dubitandi.

Videt quisque tamen, quot quantaque sint in hoc differendi genere reprehendenda. Primum enim cum Sacræ Literæ Mosaico interdicto cultum cujuscumque generis falsarum imaginum, ideoque etiam pictarum, prohibentes, Ægyptiacam respexerint Idololatriam, quæ, ut diximus, post Sesostridis victorias, se se per universum late fudit Orientem, quemadmodum teste Plutarcho Oratione I. de fortuna, vel virtute Alexandri, hujus Regis opera factum est, ut Bactra & Caucasus Græcorum Deos adorarent, heinc sequitur, picturas falsorum Numinum pluribus a populis fuisse adoratas, dumque eædem Sacræ Literæ Judæos reprehenderunt atque Samaritas, ceu Babyloniorum, Chaldæorumque moribus corruptos, propterea quod pictas Syrorum Numinum effigies adorassent, vel non absque delectatione ac desiderio recordati fuissent cultus, quem pictis Deorum suorum imaginibus Chaldæi, tribuere solebant, rursus argumento sunt, Babylonios ipsos profanarum picturarumque fuisse cultu imaginum pollutos. Quod autem ad Patrum testimonium pertinet, haud video quinam major inveniri contemptus Antiquitatis possit, quam id negate, aut de eo dubitare, de quo tam aperte universa Antiquitas protestata est. Nec enim heic agitur de hypothesi, aut cogitatione, vel illarione Patrum, nec aliquorum inter ipsos optimo a nobis urgetur, qui cultus prius

fuisse

fuisse imagines Deorum atque Heroum pictas sensere, quam eorum Signa & Simulacra. Omitti id posse declaravimus, eosque inculpate deseri, propterea quod ejusmodi quæstio ejus sit revera generis, ut si in ea a Veteribus nonnullis recedamus, rei non possimus peragi contemptæ Antiquitatis. Verum agitur de re facti, agitur de cultu Gentilium, quem Patres secundi, tertii, quarti, quintique seculi oculis videbant suis: quumque iidem tam clare & aperte contestati sint pictas Numinum ac Heroum effigies fuisse ab Idololatris suorum temporum divinis honoribus mactatas, vix intelligo qui, sanam habens mentem & cogitandi rationem, possit vel minimum de re a Sanctissimis prudentissimisque Viris tam professa dubitare.

Neque vero negaverimus haud esse nexum inter imaginem ad historiam, ad exemplum, ad ornatum propositam, & imaginem propositam ut adoretur. Qui propterea tamen Picturarum cultum inficiari posse crederet, is imperitum se eorum quæ evenere significaret. Nonne enim ex Sacris Literis, ex Patribus, ex profanorum immo auctoritate ac testimonio Scriptorum certi sumus, Statuas ipsas fuisse primum ad historiam & memoriam, adque exemplum & solatium inductas? Eas tamen Posteritas demum adoravit. Cur idem non contigerit Picturis? Immo Protestantes infinita volumina contexuere, quibus conficerent, imagines primum illis solis de caussis in Ecclesiam inductas, quas populus postea religioso honore prosequutus est. Ut vero apud Augustanæ Confessionis asseclas stant ad historiam & exemplum imagines,

gines, quin eædem colantur, ideo id est, quia illi cultum Sanctorum non admittunt. Quamvis enim, ut jam diximus, potuerint Dii absque imaginibus ullis coli, semel illis tamen cum Deorum cultu præconceptis, fieri non poterat, quin & ipsæ cum Diis colerentur. Fuit, non negabimus, apud Ethnicos Philosophorum quoddam genus, quod imagines Deorum omnes abrogatas voluisset. Verum, quum lumine ipso naturali intellexissent Gentiles, ea quæ ad religionem pertinebant, non a Philosophis, sed a Legumlatoribus, a Pontificibus, & a Vatis, ut existimabant, Numine afflatis, esse constituenda & regenda: proinde talium reprehensiones Philosophorum datæ fuerunt proterviis in mare Creticum portare ventis, siquidem Lege regitur populus, Lege, inquam, jubente, vetanteque, non docente, aut persuadente, vel exemplo regitur eorum, quos ductores habet, & Majorum Traditiones sequuntur, quum ex opposito prius inter horologia, quam inter Philosophos convenerit, & conveniet: quod in hac ipsa re, qua de agimus, patebit, ex testimoniis namque Gentilium etiam Philosophorum, licet in diversa abeuntium, magis magisque pictarum cultus Tabularum erit manifestus.

Plurima jam vero adduci possent Ethnicorum testimonia ad idololatriam Ægyptiorum pertinentia, quibus eos symbolicas suorum Numinum effigies, solis coloribus expressas, coluisse ostenderetur; quemadmodum Taciti illud Libro V. Historiarum *Ægyptii pleraque animalia*, ***EFFIGIESQUE COMPOSITAS venerantur***: quo cum consonat Pomponius Mela

T Libro

Libro I. de Situ Orbis Capite 9. *Ægyptii colunt EFFIGIES multorum animalium*, quæ tanto magis pictis de imaginibus interpretari fas esset, quanto & Plutarchus in Libro de Iside & Osiride, & Cyrillus Alexandrinus in suis adversus Julianum Libris, & alii, talium effigies animalium per figuras expressas coloribus describunt, easque Ægyptiacis in Templis erectas docent, ac veluti symbolicas Numinis imagines divino cultu adoratas. Quia tamen præcipuus Disputationis inter nos atque Græcos cardo de imaginibus est, quæ speciem habent ac similitudinem viventis, propterea de cultu earum imaginum dicemus, quæ solis coloribus expressæ erant, & quæ Deos Deasque atque Heroas humana forma ac specie repræsentabant.

Ut a generalibus, ut ita dixerim, testimoniis auspicemur, Plato Libro de Legibus XI. Deorum duo veluti genera ponebat, alterum eorum, quos oculis videmus, Patremque ac Matrem tales esse conspicuos Deos contendebat, alterum eorum, quos conspicere non possumus, *quibus*, inquiebat, *IMAGINES ET STATUAS consecramus*, τῶν δ' εἰκόνας καὶ ἀγάλματα ἱδρυσάμενοι, *easque, etiamsi inanimatæ sint, animatos tamen illos esse Deos arbitramur; & ipsos NOBIS SE COLENTIBUS multam idcirco benevolentiam & gratiam erga nos habere*. Si Statuæ & Imagines Numinum juxta Platonem colebantur; itaque non Simulacra tantum, verum etiam eorum imagines coloribus expressæ. Clarius tamen scribit Aristoteles Libro Politicorum VII. Capite 17. his verbis: *Quum vero dicere quicquam inhonestum interdixerimus,*

cla-

clarum est, quod & aspicere PICTURAS γραφὰς, & *actus deformes prohibemus. Sit igitur curæ Magistratibus, nullam neque Statuam,* NEQUE PICTURAM, μηδὲ γραφὴν, *esse talium imitatricem, nisi Numinum sit illorum, quibus lasciviam mos tribuit; quibus sane Diis permittet Lex ætate provectiores pro se, & filiis, & uxoribus sacra facere, atque eos venerari.* Nil profecto expressius reperiri potest ad confirmandam apud Ethnicos publicam Tabularum pictarum adorationem. Loquitur heic quippe Philosophorum Princeps de cultu ac precibus, quas Patresfamilias pro se filiisque & uxoribus ante obscœnarum pictas Tabulas imaginum, Veneris arbitror, Bacchi, similiumque facere debebant, ne simpliciorum animi, eorumque quos decebat pudor & modestia, illarum adspectu Picturarum violarentur. Loquitur de cura & diligentia, quam habere oportebat Magistratus, ne lubricæ illæ Picturæ cultui prostarent: proindeque publico de more cultuque verba facit, certo necessitatis reformandi talem consuetudinem indicio, sed certiore moris adorandi Tabulas Deorum pictas argumento.

Revera publice ac in Templis erectas fuisse tam præposteras Picturas, easque ad colendum propositas, tutissimam fidem facit Aristides Oratione Isthmica in Neptunum, ubi postquam, ut superius diximus, scripsisset, Palæmonem & dicere, & nominatim appellare æquum esse, jurumentoque adhibere, & mysteriis sub ipso initiari, PICTUMQUE CONTEMPLARI, *ἐν γράμματι*, idque vel Delphino insidentem, vel ipso maris vectum æquore, vel in maternis manibus florentem ac vernantem puerum com-

prehensum, spectaculoque pulcherrimo, tranquillum mare ibidem appingi ἐν γράμματι, & Neptuno puerum ex peplo arridentem, hæc, inquam, quum scripsisset, illico addidit: *Aliud autem præterea nihil esse appingendum*, *QUALIA SUNT IN IMPIIS QUIBUSDAM ET HORRENDIS PICTURIS*, *quas ego tum primi qui viderunt, miror, quomodo ab earum Opificibus & auctoribus manus abstinere potuerint, cur adhuc MEDIIS IN TEMPLIS conspiciantur; veruntamen meum non est hæc reprehendere*. ἄλλο δὲ μηδοτιοῦν προσπαραγγέλλειν τούτοις. οἷα ἐνιαχοῦ τα φοβερὰ τινὰ καὶ ἀσεβῆ γράμματα. ἃ ἐγὼ θαυμάζω πῶς ποτε κ. τ. λ. . . . . ἢ ἔτι καὶ νυνὶ ἀνέχονται ἐν μέσοις τοῖς ἱεροῖς κ. τ. λ. Exemplum si quis tam infamium Picturarum peteret, illud Origenes præstaret Libro contra Celsum IV. cujus græca plurimum verba exscribere abunde erit: *Et quid opus est enumerare absurdas de Diis historias, Græcorum pudendas primum, per allegoriam expositas, quum Solensis Chrysippus Picturam in Samo positam* γραφὴν τὴν ἐν Σάμῳ, ἐν ᾗ ἀρρητοποιοῦσα ἡ Ἥρα τὸν Δία ἐγγέγραπτο. λέγει γὰρ ἐν τοῖς ἑαυτοῦ συγγράμμασιν ὁ σεμνὸς Φιλόσοφος. ὅτι τοὺς σπερματικοὺς λόγους τοῦ Θεοῦ ἡ ὕλη παραδεξαμένη ἔχει ἐν αὐτῇ εἰς κατακόσμησιν τῶν ὅλων, *nam materiam imagine Junonis Samia Pictura significat, Deum vero effigie Jovis*. Pudor utique ac verecundia fere cunctis honestioribus erat animis tales præsertim in Sacris Tabulas respicere aut Picturas; itaque Philosophorum alii eas nedum colere, sed adspicere etiam prohibebant; honestis alii allegoriis turpitudinem picturarum temperare studebant, alii denique talium censuram

furam rerum ad se minime pertinere intelligebant, ac protestabantur, quia de præposteris quidem Picturis agebatur, attamen publice solemniterque erectis, cultis, atque consecratis.

Plutarchus summa tum pollens judicii vi, tum animi moderatione, Sapientesque potius, quam populum alloquens, bona nonnulla plurimis mixta malis protulit in suo de Iside & Osiride Libro: quod non mirum in homine veræ Religionis ac doctrinæ luce destituto. In ipso tamen nobilem habemus pictarum Tabularum, quas Ethnici colebant, testem. Primum namque scribit: *Rectissime a Philosophis dicitur, eos, qui vocabula recte intelligere non discant, de rebus ipsis falli oportere: quod usu evenit Græcorum iis, qui æreas, VEL COLORIBUS EXPRESSAS, vel lapideas imagines quum adsuevissent, οἱ τὰ χαλκᾶ, ϗ τὰ γραπτὰ, ϗ λίθινα, non effigies, aut honores Deorum appellare, sed Deos ausi sunt eas dicere.* Quod enim de cultu Numinum tunc agat, & Orationis series, & quæ statim adjicit, ostendunt, nempe: *Sed Ægyptiorum plerique colentes ipsa animalia, eaque tractantes tanquam Deos, ϗ περιέποντες ὡς θεοὺς, non sannis modo & irrisioni totam pene Sacrorum objecerunt rationem &c.* Pergit idem tamen, agitque de Hieroglyphicis Ægyptiacis, deque figuris symbolicis Numinum illius Gentis, quas propterea ita vindicat: *Enim vero mirari nemo debet, Ægyptiis tam exiles similitudines adrisisse, quum Græci etiam ἐν τοῖς γραπτοῖς, ἐν τοῖς πλαστοῖς PICTIS FICTISQUE Deorum imaginibus multa talia adhibuerunt.* Præterens denique viva animalia, quibus Ægyptii ætate sua utebantur

bantur tanquam symbolis ad colenda Divinitatis attributa, ea, inquam, pictis sculptisque præferens Deorum imaginibus, quibus eos Græci adorabant, his Orationem concludit: *At enim probandi sunt, non qui hæc, sed qui per hæc Numen venerantur, istaque recte habentur pro speculis clarioribus & a natura suppeditatis, tanquam instrumenta & artificia Dei universa ornantis. Æquum enim est intelligi, nihil inanimatum animato, nihil sensu carens sentiente præstantius esse. etiamsi quis aurum universum, & smaragdum, in unum comportaret locum. NON ENIM IN COLORIBUS, AUT FIGURIS, AUT LEVITATIBUS, INEST DIVINA NATURA.* οὐκ ἐν χρώμασι γάρ οὐδ' ἐν σχήμασιν, οὐδ' ἐν λειότησιν ἐγγίνεται τὸ Θεῖον. Græci igitur ac Romani, teste Plutarcho, imagines Deorum solis coloribus expressas, non minus ac Statuas, Deos appellabant. Divinam naturam, quemadmodum in figuris sculptis, ita in pictis inesse existimabant; & quemadmodum Ægyptii in animalibus, ita Græci & Romani, deteriore consilio, juxta Plutarchum, haud magis in fictis, quam Deos in imaginibus pictis adorabant. Qui magis adultæ Christianæ Religionis tempore disserebant de rebus ejusmodi Philosophi, propius accedebant veritati. Philostratus siquidem in Vita Apollonii Libro V. Capite 9. hunc inducit de imaginibus Deorum cum Ægyptiis disputantem, & in hæc erumpentem verba. *Venerabiliores ego fuisse Deos arbitrarer, si eorum nulla imago extitisset: potuissentque Veteres Templa construere, & in ipsis altaria erigere, tum etiam quid sacrificare liceret, aut non liceret, instituere, nul-*

lam

lam autem Deorum effigiem in Templis erigere; sed eorum effigies illis relinquere excogitandas, qui sacrificatum accederent; mens enim describit & format aliquid OMNI SCULPTURA, PICTURAQUE PRÆCLARIUS, ἀπαγγέλει γὰρ τι ἡ γνώμη, καὶ ἀνατυποῦνται δημιουργίας κρεῖττον. In his omnibus testimoniis versatur sermo circa pictas imagines Deorum in Templis erectas cultasque: sunt qui talem cultum laudavere, sunt qui cohibendum duxerunt, sunt qui cultum aliquarum imaginum cum aliarum cultu contulerunt, sunt denique qui cunctas imagines omittendas duxere: omnes tamen eas, etiamsi solum pictas, ab Ethnicis fuisse adoratas evidentissime evincunt.

Age tamen nonnullas recenseamus a Scriptoribus antiquis memoratas, quæ cultum revera obtinuere. Plinius Libro XXXV. Capite 9. Picturas Zeuxidis recensens, *magnificus est*, inquit, *Jupiter ejus in throno, astantibus Diis.* De Nicomacho autem, Aristodemi filio & discipulo, ita Capite 10. *Pinxit raptum Proserpinæ, quæ TABULA fuit in Capitolio in Minervæ delubro supra Ædiculam Juventutis. Pinxit & Apollinem, & Dianam, Deûmque matrem in Leone sedentem.* Quæ sane Picturæ Religionis usui fuerint oportet consecratæ. Sed quid clarius iis, quæ eodem habet in Libro de Pictura Cydiæ, *cujus Tabulam, Argonautas H-S CXLIV. Hortensius Orator mercatus est, EIQUE ÆDEM FECIT in Tusculano suo*, scilicet TEMPLUM, quemadmodum Patriæ Civis meæ, & italico sermone egregius Plinii Interpres, Ludovicus Domenichi vertit: (*UN TEMPIO*,) vel SACELLUM, ut Johannes Baptista Alberti

berti in Epistola de antiquis Pictoribus & Sculptoribus, quæ Tomo extat I. postremæ Editionis Vasari, pag. XCIX. (*ED A QUESTA SOLA TAVOLA A TUSCULO SUA VILLA ORTENSIO FABBRICO' UNA CAPPELLETTA*,) nec diverso rem explicavit modo celebris La Nauze Tomo XXV. Monumentorum Academiæ Parisiensis, ubi methodum ac rationem illustrat, juxta quam Plinius egit de Pictura: (*une Chapelle exprès pour ce Tableau.*) Qui autem factum esset, ut, quod absque ulla admiratione, ac velut non insolitum narrat Historicus, data opera Templum, sive Sacellum conderetur, ut in eo erigeretur Tabula, quæ Græcos Heroas Jasonis Comites, Herculem, Hylam, Theseum, Pirithoum, Orpheum, Peleum, Telamonem, Castorem & Pollucem &c. repræsentabat? Tabulis autem pictos continentibus Jovem, Mercurium, Minervam, ceterosque majorum gentium Deos, honor divinus ab Ethnicis habitus minime fuisset?

Habitum fuisse eum tamen ex altero statim eruemus Plinii testimonio, Libro pariter XXXV. Capite 10. scribente *Inter opera Apellis, quæ nobilissima sint, non est facile dictu. Venerem exeuntem e mari Divus Augustus dedicavit, in delubro Patris Cæsaris, quæ ANADYOMENE vocatur. Hujus inferiorem partem corruptam qui reficeret, non potuit inveniri: verum ipsa injuria cessit in gloriam Artificis. Consenuit hæc Tabula carie, aliamque pro ea Nero principatu restituit suo.* Eusdem Tabulæ mentionem facit Strabo Libro XIV. his verbis: *Fuit autem ibi* (apud Coos) *Venus ANADYOMENE, quæ nunc*

in

in Divi Cæsaris Templo consecrata est ab Augusto sui auctorem generis dedicante. Ajunt Cois pro PICTURA EA *de tributi imperati summa, remissa fuisse C. Talenta.* φασὶ δὲ τοῖς Κώοις ἀντὶ γραφῆς ἑκατὸν ταλάντων ἄφεσιν γενέσθαι τοῦ προσταχθέντος φόρου. Tabulam hanc tum apud Coos, tum apud Romanos, cultui publico prostasse facile patebit rei ipsius adjuncta animadvertenti. Num enim existimabimus Romanos rerum Dominos, belli victoriisque jure impotentissime in solitos, de tributo imperato immanem ac immensam centum talentorum summam PRO PICTURA EA remittere Cois voluisse, nisi se quod sacratissimum Urbi illi erat, & ob religionem civi cuicumque acceptissimum, illa cum Tabula ipsis auferre cognovissent, & nisi auri pharmaco tam acerbum vulnus mitigatum iri sperassent? Tabula vero hæc in Cæsaris Templo Romæ dedicata, quum cariæ consenuisset, altam pro ea Nero Principatu restituit suo; itaque ad publicam magis videtur spectavisse religionem Romanorum, quam quod merum fuisset delubri ornamentum.

His tamen animadversionibus omissis, ex nonnullis inter se collatis de Tabula hac Veterum locis atque testimoniis, certiores effluent ad similium cultum Tabularum evincendum consequutiones. Scribit namque Libro Deipnosophistarum XIII. Capite 6. Athenæus: *Erat olim Phryne magis pulchra in aliis partibus, quæ non videbantur: quamobrem haud facile fuit conspicere nudam, induebatur enim tunica arcte carnes adstringente, neque publicis utebatur balneis. Frequentissimo autem Eleusiniorum conventu, feriatisque Neptuno diebus,*

in Græcorum omnium conspectu deponens vestes, & solvens comas, ingressa est mare: adeo ut Venerem ANADYOMENEN, scilicet e mari egredientem, hoc etiam ad exemplum PINXERIT Apelles. κ̀ ἀπ' αὐτῆς τὴν ἀναδυομένην Ἀφροδίτην ἀπεγράψατο Ἀπελλῆς. Aliud exemplar Picturæ huic asserit Plinius Libro XXXV. Capite 10. ubi ita de Apelle: *Alexander ei honorem clarissimo tribuit exemplo. Namque cum dilectam sibi ex pellicis suis præcipue, nomine Campaspen, nudam pingi ob admirationem formæ ab Apelle jussisset, cumque tum pari captum amore invenisset, dono dedit eam. Sunt qui Venerem ANADYOMENEN illo pictam exemplo putant.* Veneris igitur Tabula, quam Augustus in Templo Patris sui consecraverat, ipsamet illa erat e mari emergens, sive ANADYOMENE a Græcis appellata, quam vel ad Phrynes, vel ad exemplum Campaspes, pinxerat Apelles. Tabulam vero illam imitari solitos fuisse Pictores testatur Aristenætus Libro I. Epistola Eroticarum VII ubi habet: *ad hunc modum docte Pictores pingunt Venerem emergentem se e mari.* θαλάττης τὴν Ἀφροδίτην εὐπρεπῶς ἀναδῦσαν γράφουσι οἱ ζωγράφοι. Quemadmodum ejusdem Libri Epistola I. gavisus fuerat, optimos Pictores, si quando ipsis Helena, Gratiæque, vel ipsa Gratiarum Præses effingenda fuisset, suam Laidem pinxisse. Quid enim difficilius, quam Tabulam unius figuræ, & quidem nudæ, pingere, vivumque in exemplar nec oculos, nec animum intendere? Si nec Vates in Sermonibus, nec Romanensium Scriptores fabularum, nec qui Theophrastum in characteribus, ut ajunt, describendis imitantur, aliquid vel mediocre perficerent,

rent, nisi larvatus sub nominibus homines morosque, quos ob oculos habent, repræsentarent, quanto magis id necessarium fuerit Pictoribus, non sui dicam mores temporis, sed naturam nudam expressuris? Ut enim Poesi Pictura præstat in multitudine hominum ac rerum, simul, eidemque ictui oculi objiciendarum, ita Poesis Picturæ prævalet in affectuum diversitate & copia, quibus quis brevi intervallo temporis agi potest, paucis æque carminibus repræsentanda: quod profecto in figura unius actionis atque temporis præstare Pictor vix umquam poterit, immo nec integram exprimere naturam, nisi manifesto naturæ opere deprehensam. Zeuxis, ut memorat Tullius Libro de Inventione II. formosissimam in Templo Junonis, quod Crotonæ erat, depicturus Helenam, quinque pulcherrimas illius urbis Virgines delegit, ut quidquid pulchritudinis & venustatis poterat, sua in imagine exhiberet. Quum igitur

Qualis Idalium volens
Venit ad Phrygium Venus
Judicem

exprimi a Pictoribus soleret, Phrines propterea, & Campaspes, & Laidas, sibi proponebant imitandas. Jam vero quid heic in rem nostram magis aperto ac tuto, græcanicæ miraculi eruditionis, videlicet Clementis Alexandrini testimonio, ut intelligamus, Tabulas ejusmodi ethnica fuisse in Gente divinis honoribus donatas? Ille quippe in Admonitione ad Gentes, rumorem sparsum magis, ac ad Athenæi aures

 per-

perventum, sequutus, scripsit: *Quum floreret Phryne meretrix Thespiaca*, οἱ ζωγράφοι πάντες *PICTORES OMNES Veneris imagines ad Phrynes pulchritudinem imitatione referebant. Superest, ut nunc ipsemet judices, an ADORARE velis fœdas meretrices?* ὑπολείπεται τῆς σῆς κρίσεως τὸ ἔργον ἐπαξιεῖ εἰ βούλει καὶ τὰς ἑταίρας προσκυνεῖν; scilicet, Pictores reliqui exemplar & exemplum Apellis imitati, suas ad ANADYOMENES vultum elegantiam & formam Veneres pingebant ac repræsentabant: quas deinde Veneris Tabulas Ethnici solemniter in Templis erigentes, ac publice adorantes, nostrorum querelas Patrum ac lacrymas ciebant.

Pausanias Libro Descriptionis Græciæ I. digna referens quæ Athenis adhuc viserentur, Apollinem Patrium memorat ab Euphranore in Templo pictum, Εὐφράνωρ ἔγραψεν Ἀθηναίοις ἐν τῷ ναῷ τὸν Ἀπόλλωνα πατρῷον. Quis obsecro PATRIUM APOLLINEM tanto a Pictore in Templo publico depictum, dubitet fuisse publice adoratum? Libro VIII. scribit idem Auctor. *Tegeæ in Templo erat lectulus Minervæ sacer, ipsiusque Deæ effigies PICTURA ET COLORIBUS in lectulo expressa*, καὶ αὐτῆς εἰκὼν μεμιμημένη. Sic enim Dii Deæque repræsentabantur; erat siquidem κλίνη, sive Lectulus, sedes Deorum, propria, quemadmodum e Satyra patet Juliani Cæsaris in ceteros Imperatores, nam in illo, quod Augustus fingit Deorum Concilio, *parati*, inquit, *erant lectuli* κλῖναι, *Diis quidem in suprema cœli regione* .... *Igitur quatuor sternuntur lectuli*, κλῖναι .... *Ceteris quoque Diis, pro sua cuique dignatione, paratæ*

paratæ

ratæ erant ſedes, ἢ κλίνη κατὰ πρεσβείαν. Lucianus quoque in Contemplatricibus, fingit Crœſum in aureo ſedentem lecto, ἐπὶ κλίνης χρυσῆς καθήμενον, cumque Solone Athenienſi confabulantem. Idem igitur aliquando lectulus ac thronus, ſive Deorum ſedes; quare Minerva Tegeæ in Templo depicta, ſua veluti in ſede coleretur. Denique Libro IX de Gratiarum agens cultu, ita loquitur Pauſanias *Eteoclem ſane Bœoti primum Gratiis humana feciſſe hoſtia, ac tres quidem religioſe ſanxiſſe, norunt omnes. Pergameni, in Attali thalamo, ac in eo Templo, quod Pythium appellant, ſuas habent & ipſi Gratias, quas PINXIT Pythagoras Parius*, Πυθαγόρου γράψαντος παρίου. Sed operoſum heic eſſet picturas Numinum exſcribere ab hoc Scriptore recenſitas.

Plutarchus in ſua de EIS EI inſcripto foribus Templi Delphici Commentatione, poſt plurima de Apolline & Baccho, ceu Diis tutelaribus Delphorum, memorata, ita pergit: *Canunt Delphis Baccho dithyrambos, plenaque motuum animi, ac mutationum carmina, vagis cum erroribus, & circumcurſitatione conjunctarum. Apollini autem Pæana canunt, carmenque modeſtæ camenæ, atque huic ſemper juveni ac ſenectutis experti, illi vero multiplici forma, variaque ſpecie, SIVE PICTURA, SIVE SCULPTURA expreſſi fuerint, PUBLICE SACRUM FACIUNT*. ἐν γραφαῖς, ἢ πλάσμασι δημιουργοῦσι. *Apollinique tribuentes æqualitatem, ordinem, & ſinceritatem ſerio conſtantem, Baccho admixtos jocos, petulantiam, furorem, & inæqualitatem, proportionem in cultu obſervant, reliquis anni partibus Pæane ad ſacrificia utentes,* incun-

ineunte hieme dithyrambum excitant, & per tres menses Bacchum Apollinis loco invocant. Qui Delphos igitur incolebant, pictas Apollinis Bacchique effigies, haud minus quam eorum Statuas, religiose venerati, Pæana alteri, alteri concinebant dithyrambos, & sacrificia imaginibus illis offerentes, sua ante illas vota concipiebant.

Athenæus Libro Deipnosophistarum XIII. Cap. 4. cultam a Corinthiis Tabulam describit his verbis: *Quum Persarum Rex Græciam armis tentasset, Theopompus ac Timæus Libro septimo auctores sunt, Corinthias meretrices in Veneris Templo convenisse, ac pro totius Græciæ salute Deam exorasse. Itaque Simonides, quum PICTAM DEÆ TABULAM adhuc exstantem Corinthii erigerent & consecrarent, in qua meretrices depictæ erant,* ἀναθέντων τῶν Κορινθίων πίνακα τῇ θεῷ, καὶ τὰς ἑταίρας ἰδίᾳ γραψάντων, *quæ supplicationibus Deam propitiaverant, & in ejus fano sacris interesse consueverant, adscripsit hoc Epigramma &c.* Tabulam vides totius Corinthiorum Communis voto ac sumptibus in Veneris honorem consecratam: vides historiatam, ut ita loquar, Tabulam, depictis cum Dea mulieribus eam adorantibus: quod spectantium Ethnicorum mentes ad pietatem, & amorem, & religionem in Deam magis magisque instruebat erigebatque, quemadmodum de Tabula, in qua depictum erat sacrificium, inquiebat Gorius in admirandis Antiquitatum Herculanensium §. XX. p. 180.

Herodianus Libro V. Capite 5. describens quanam ratione Imperator Antoninus cognomento Heliogabalus, rebus in Oriente compositis, dum Romam

con-

contendere statuisset, pictam imaginem, quæ se suumque repræsentabat Numen, sive Deum Heliogabalum, Romam miserit, ipsamque erigi, & sacra destinari sede, ut adoraretur, jusserit, scribit: *Forma habitus, qua Imperator utebatur, inter Phœnissam erat sacram, & mollem stolam, ac Medorum amictum: nam Romanam vestem aut Græcanicam plane aspernabatur: quumque retinendum sibi quemcumque illum cultum animo obstinasset, decrevit absens periculum facere quonam animo Senatus Populusque Romanus laturi forent. Quare imaginem propriam maximis lineamentis, qua ipse obire Sacerdotis munia videbatur, simulque figuram Numinis, cujus Sacerdotium gerebat, DEPICTAM IN TABULA*, παραστήσας τι ἐν τῇ γραφῇ τὸν τύπον τοῦ ἐπιχωρίου θεοῦ, *præmisit Romam, jussis, qui eam ferrent, in media Curia supra Victoriæ caput edito loco collocare, ut quum Senatus haberetur, thura unusquisque adoleret, merumque libaret. Quapropter ut in urbem pervenit, nihil novum Romani viderunt, assueti jam PICTURÆ*. τῇ γραφῇ ἐνεθισμένοι. Quidnam obsecro his verbis expressius? Tabulæ, in qua depictus erat Deus Heliogabalus, unusquisque thura adolebat, ac libabat merum, in edito collocata ipsa erat loco, & quidem auctoritate publica, ut adoraretur.

Lucianus in Hercule Gallico, Deum ejusmodi, quem Ogmium appellabant, nova quadam & inusitata figura ab ipsis *PICTUM* γεγραμμένον, *& UT ILLUM TALIBUS PICTURIS ULCISCERENTUR*, ἀμυνομένους αὐτὸν τῇ τοιαύτῃ γραφῇ, ita efformatum describit. Ejus de cultu veteres apud Gallos aliquid ad Crozæum scripsit Gotfridus Christianus Rothius,

in

in Thesauro prostans Lacroziano, sed plura habet Auctor Operis de Religione veterum Gallorum purioribus e fontibus Antiquitatis illustrata Libro II. Capp. 11. 12. Eas vero Herculis Gallici Tabulas cultus caussa ita fuisse expressas, ex iis possumus colligere, quæ scribebat de Hercule apud Herculanenses culto Cl. Belgradus in Epistola ad Scipionem Maffejum, de Ædificiis agens sub Retina inventis: *Non modo marmorei, SED ETIAM PICTI HERCULES PLURES inventi sunt, qui Herculanensium in Herculem RELIGIONEM ET CULTUM publicis monumentis quodammodo consignatam testantur*. Ut ad Lucianum revertamur, de simulato illo Æsculapio disserens in Pseudomante, inquiebat: *Exclamare cœperunt, & salutare Deum, & Civitatem beatam prædicare. Tum votis affatim quisque suis implebatur, thesauros, opem, sanitatem, aliaque id genus flagitando. Paullatim igitur & Bithynia, & Gallogræcia, & Thrace confluxit, dicentes a se visum Deum. Super hæc PICTURÆ, & Imagines, & Simulacra, ex ære partim, partim ex argento assimulata: & nomen Deo impositum*. γραφαὶ τε ἐπὶ τούτῳ, καὶ εἰκόνες, καὶ τὰ ξόανα, τὰ μὲν ἐκ χαλκοῦ, τὰ μὲν ἐξ ἀργύρου εἰκασμένα. Adeo Picturæ non minus quam imagines ceteræ quæcumque, ac Statuæ, in signum cultus, & ad Religionis honores alicui exhibendos, ab Ethnicis usurpabantur. Sic Libanio teste Declamatione XXXIX. Ethnici a morbo recreati, verum, sicut existimabant, *Æsculapium IN TABULA UT BENEFICUM PINGEBANT*, τὸν Ἀσκληπιὸν, ὡς εὐεργέτην, γράφουσι, quæ beneficii remunerandi ratio ad cultum & religionem illorum hominum spectabat.

Pi-

Picturarum vero cultus Tabulatum ex Gentilium præcipue Pictorum in eas studio, religione, vel aliquorum sacrilegio confirmatur. Vitruvius Libro de Architectura III. *Optamus*, inquiebat, *diligenter a nostris Pictoribus considerari, ut intelligant, quanto major diligentia & industria IN PICTURIS SACRIS ponenda sit, quam in profanis* Cur vero hæc major industria & diligentia, nisi PICTURÆ ILLÆ SACRÆ majorem saltem partem, ad cultum publicum spectassent? Refert Plinius Libro XXXV. Capite 10. de Parrhasio: *Herculem, qui Lindi est, talem a se pictum, qualem sæpe in quiete vidisset*. Quod idem Libro Deipnosophistarum XII. Capite 11. habet Athenæus: *Veluti prodigium quoddam referebat Parrhasius, quum in Lindo Herculem ipse pingeret, talem se Deum repræsentasse, ac Picturæ accommodasse, qualis per somnum ipsi apparuerat*. Τερατευόμενος δὲ ἔλεγεν ὅτι τὸν ἐν Λίνδῳ Ἡρακλέα ἔγραφε, κ. τ. λ. Propterea sacras hujus Artificis Picturas quædam veluti fuisse exemplaria, quæ Pictores ceteri imitarentur, tradit Quintilianus Libro Institutionum XII. Capite 10. his verbis: *Parrhasius ita circumscripsit omnia, ut eum Legumlatorem vocent, quia DEORUM ATQUE HEROUM EFFIGIES, quales ab eo sunt traditæ, tanquam ita necesse sit, sequantur*. Ejusmodi adparitiones Deorum, quas Pictoribus factas Ethnici somniabant, ita interpretabantur, ceu Dii ea forma, specie, habitu, modis ac symbolis in Pictura coli vellent, quales se se tam præclaris Artificibus ostendissent.

Violatæ Religionis rei Pictores illi ex opposito habebantur, qui sub Deorum Dearumque habitu ac specie viros aut mulieres pingebant, quas colere fas non erat. Themistius Oratione XIV. de Pictore mox citato: *De Parrhasio ferunt, quum PINGENDUM MERCURIUM suscepisset, suam in Tabula imaginem expressisse & hodieque Spectatores scripturæ inscriptione falluntur, existimant enim a Parrhasio Deum ipsum expressum esse, a Pictura longius aberrantes.* πόῤῥω ὄντες τῆς ζωγραφίας. Quum autem Lucianus *in Imaginibus* Pantheam effingi quandam simulasset non modo ex publice cultis ætate illa eborreis marmoreisque Dearum Simulacris, verum etiam ex publicis ac pictis earumdem Tabulis: quare aliqua ex Venere Cnidia decerpi voluisset, aliqua ex Venere Hortensi Alcamenis, aliqua ex Tabulis Dearum, quas Polygnotus, Euphranor, Apelles, & Aetion confecerant, singulis velut ad symbolam conferendam advocatis, proindeque ex celebrioribus Dearum imaginibus publico donatis cultu mulierem suam concinnatam esse gestiret, in Dialogo qui sequitur *pro Imaginibus* inducitur Luciani accusator talem ob mulierem ex tam sanctis verendisque, ut aiebat, Dearum imaginibus contextam: ipsaque immo inducitur de Luciano conquerens coloribus ita expressa mulier, quod se cum imaginibus iam sanctis contulisset. Dixerat itaque accusator: *Hoc unum non fert Panthea, quod eam cum Deabus Junone ac Venere comparaveris:* ἓν δὲ τοῦτο οὐ φέρουσα ὅτι θεαῖς αὐτὴν, Ἥρα, καὶ Ἀφροδίτῃ εἴκασας. Supra humanam enim naturam talia esse subjiciebat, *ET PRIMIGENIA EXEMPLARIA*

RIA ADORANDA, καὶ προσκυνεῖ σὲ τὰ ἀρχέτυπα παραδείγματα. Nulla vero alia Junonis effigies inter imagines, quas Exemplaria sibi proposuerat Lucianus, reperiebatur, quam ea, quam ab Euphranore depictam dixerat: *Euphranor colorem comæ illius conferat, qualem Junonis comam COLORIBUS EXPRESSIT*. ὁ δὲ Εὐφράνωρ χρώσατω τὴν κόμην οἵαν τῆς Ἥρας ἔγραψε. Concludit demum accusator, Veneris Junonisque imaginibus imaginem illam assimilare, nil aliud esse, quam ingentem Deabus inferre contumeliam: itaque non tam marmorea illa Cnidiorum Venus, quam picta hæc Euphranoris Juno, consecrata fuerit oportet, ac publico cultu adorata. Quemadmodum enim Ægyptiis posterioribus, dum viva adoraverunt animalia, delictum minime fuisset ea, quæ adhuc privati juris erant, occidere, ac iis ad vescendum uti, sed animal illud, quod publici symbolum & objectum erat cultus, vel minimum lædere, delictum inexpiabile fuisset, ita Luciano usum illum Tabulæ Junonis objicere non potuisset accusator, si ea magis privatæ ad ornatum domus, quam ad solemnem cultum Templi publici spectasset.

Plinius in laudibus veterum Pictorum totus, dum Deorum Dearumque imagines rite expresserunt, illos contra reprehendit, reprehensosque ab omnibus ostendit, qui Numina præposteris modis, aut ex profanis exemplaribus repræsentavere. Itaque Libro XXXV. Capite 11. *Ctesilochus Apellis discipulus*, inquit, *PETULANTI PICTURA innotuit, Jove Liberum parturiente depicto mitrato, ac muliebriter ingemiscente inter obstetricia Dearum*. Et Capite 10. scripserat:

pserat. *Fuit Arellius Romæ celebris paullo ante Divum Augustum, nisi INSIGNI FLAGITIO corrupisset artem, semper alicujus feminæ amore flagrans, & ob id Deas pingens, sed dilectarum imagine: itaque in Pictura ejus Scorta numerabantur.* Qui aut Polemicos Protestantes contumeliosos magis, aut Satyricos, ceu Salvatorem Rosam, similesque, aut etiam piissimos legerunt ex nostris Viros, qui egerunt de Sacris Imaginibus, non dissimile flagitium aliquibus Pictoribus Christianis invenerint assertum. Cur id vero non sine mari lachrymarum Boni memorant? Certe, quia eas ferri solet in Tabulas, quæ sub dilectarum imagine Deiparam sanctasque Virgines repræsentant, pietas & religio Orthodoxorum, facinus Pictoris ignorantium. Et quemadmodum tot nunc apud nos prostant egregii ac piissimi Scriptores, qui Commentaria edidere ad errores Pictorum corrigendos, vel ut istos probe doceant, quomodo Cœlites rite pingant, atque repræsentent; ita Philostratus errores Gentilium Pictorum ferre non valens, suum illum scripsit *de Imaginibus* tractatum, ut juxta sacrorum, sive fabulæ demum leges Dii ipsi exprimerentur. Vides interim a calumnia remotissimos fuisse Sanctissimos Ecclesiæ Patres, sæpe adeo conquestos, sub depictis Dearum speciebus, imagines potius Scortorum a Gentilibus fuisse adoratas. Haud diversa ab Arellio laborasse labe, ob Helpinecæ amorem, Polygnotum, Heroum certamina in Poecile porticu pingentem, adnotat Plutarchus in Vita Cimonis, animadversumque jam a nobis fuit, Aristidem Oratione Isthmica in Neptunum, quammaxime mirari solitum fuisse, quod ἐν

μέσοις

μέσοις τῶις ἱεροῖς MEDIIS IN TEMPLIS impiæ quædam horrendæque viserentur Numinum Picturæ, & quomodo ab Artificibus, qui eas pinxerant, recte instituti homines manus potuerint abstinere. In Oratione pro P. Sextio *sacrilegum* appellabat Tullius Pisonem, quod nullo in loco religioso Signum, vel TABULAM Deorum reliquisset. Libro autem in Verrem IV. *sacrilegum* hunc appellabat, ob furta & rapinas Simulacrorum non modo, sed pictarum etiam TABULARUM e Templis Asiæ, Pamphyliæ, Siciliæque. Libro tandem de Legibus III. inquiebat: *Quis ferret istos, cum videret eorum villas Signis ac TABULIS refertas, partim publicis, partim etiam sacris ac religiosis?* Scio hæc dici æque potuisse, si ejusmodi Simulacra & Tabulæ, sacra tantum fuissent Templorum donaria, & ornamenta. Verum si hæ querelæ, illud scandalum, illæ voces, cum studio, & amore, ac religione honestiorum conferantur Ethnicorum erga sacras Tabulas; sique cum tot adductis conferantur testimoniis & factis, quæ cultum sacrarum Tabularum apud Gentiles generatim contestantur, haud video qui aliquam hac de re dubitandi rationem adhuc habeamus.

Cultus tandem pictarum imaginum, haud minus quam sculptarum, quemadmodum jactationis argumentum erat in Ethnicis, qui in idololatria perseveravere, ita motivum fuit pœnitudinis in illis, qui ex Ethnicismo Christianam ad Religionem conversi sunt. Priorum exemplum habemus in Juliano Cæsare apud Cyrillum Alexandrinum Libro VII. ubi Apostata superstitionem suam sacris præferendam nostris ideo etiam

etiam contendebat, quod Religio Gentilium divino munere præstantissimos Pictores ac Sculptores habuisset, qui Deos in imaginibus pictis & sculptis colendos repræsentassent. Erant hæc Imperatoris verba a Sancto Patre repetita: *Habuerunt Græci EGREGIOS PICTORES ET SCULPTORES*. ἀριστοζωγράφων εἰδότας. Cui respondebat Cyrillus: *Ergo PICTORES EGREGII*, εὔχειρες ἀγαλματογλύφοι, *& peritissimi Sculptores demonstrabunt Deos esse, qui Dii non sunt?. Verumtamen ut tuis cedamus dictis, ac Gentilium PICTORES, Sculptoresque nostris præstitisse fateamur, an tibi hoc satis erit, ut demonstres Christianos excidisse a veritate?* Respiciebat Julianus clarissimos Pictores, qui jam olim in Græcia floruerant, quosque divino dicebat beneficio concessos ad repræsentanda Numina, quorum cultum in illa Concertatione sibi susceperat vindicandum: itaque positum constitutumque habebat, imagines, quas egregii illi Pictores fecerant, fuisse in Religione Gentilium supremis honoribus mactatas. Posteriorum autem, sive exemplum pœnitudinis in illis, qui ex idololatria Christianum ad nomen accesserunt, est Arnobius, qui de se jam olim ethnico, Libro contra Gentes I. ita protestabatur: *Venerabar, o cæcitas! nuper Simulacra, modo ex fornacibus prompta, in incudibus Deos ex malleis fabricatos, Elephantorum ossa, PICTURATAS VETERNOSIS IN ARBORIBUS TÆNIAS.* Vittas scilicet, in quibus aliquod Deorum symbolum, aut eorum depicta nomina comparebant. Credebantur quidem Tæniæ illæ cœlo aliquando delapsæ, ut ex Plutarcho in vita Timoleontis intelligimus, plurimum

rimum vero inter vota, & dona, & anathemata recensebantur, quemadmodum Heraldus ad allegatum Arnobii testimonium animadvertit, atque Ovidii illa Libro Metamorphoseon VIII. satis indicant:

Stabat in his ingens annoso robore Quercus:
Una nemus; VITTA mediam, memoresque tabellæ,
Sertaque cingebant voti argumenta prioris.

Symbolorum ratione tamen, nominumque Deorum illis in Vittis depictorum, adoratas fuisse ostendit etiam Apulejus Libro Metamorphoseon VI. scribens: *Psyche inter subsitæ convallis sublucidum lucum prospicit fanum solerti fabrica structum: sacratis foribus proximat: videt dona speciosa, & lacinias auro literatas, ramis arborum postibusque suffixas, quæ cum gratia facti nomen Deæ, cui fuerant dicata, testabantur. Tunc genu nixa, & manibus aram tepentem amplexa, detersis ante lachrymis, sic apprecatur: magni Jovis germana & projuga &c.* Si Ethnici PICTURATAS TÆNIAS, VITTASQUE, in quibus sola Deorum depicta erant nomina & symbola, adorabant, cogitandum relinquo, an ita continere se potuerint, ut eas non coluerint imagines coloribus expressas, quæ Deorum vultus, & figuras, & acta, & mysteria repræsentabant.

CAPUT

CAPUT IX.

De Imaginibus Deorum Heroumque opere anaglyptico ac textorio expressis, iisdemque in Idololatria adoratis.

QUoniam vero recentioribus Græcis in usu est plana mediaque Sculprura, quod eadem ad Picturam propius accedat, quare anaglypha, (in quibus tamen figuræ non adeo protuberantes sint) venerari fas esse prædicant, quemadmodum & factas imagines opere textorio expressas, secus autem Simulacra, & integras Sanctorum Statuas, quod hæc Ethnicismum redolere, eorum opinione, videantur: age, inquiramus, an Deorum Heroumque imagines anaglyptico ac textorio opere repræsentatæ, haud minus quam Signa & Simulacra, sacri objectum cultus apud Gentiles fuerint, quo magis quisque intelligat, eos in errore versari, qui solum Statuarum cultum, proprium ac peculiarem Gentilium fuisse arbitrantur. Ea ratione vero, qua Deorum imagines solis coloribus expressæ, tum in parietibus Ædium, tum mediis in Templis, tum demum in Sepulcris Heroum comparebant, atque colebantur; ita & eæ, quæ media planaque sculptura, religionis caussa, fuerant insculptæ. Strabo Libro XVII. Templum Ægyptiacum describens: *Habent autem parietes*, inquit, *ingentes imagines ANAGLYPTICO OPERE INSCULPTAS*, ἀναγλύφας δ᾽ ἔχουσι, *Etruscis & antiquis Græciæ operibus persimiles*: quæ scilicet

scilicet ea Plutarchi jam memorata egregie confirmant, quibus in Libro de Iside & Osiride dicebat, mirari neminem debere *EXILES ADEO SIMILITUDINES* γλίσχρας ὁμοιότητας, videlicet anaglypha, Ægyptiis adrisisse, eaque ipsos adorasse, quum simili arte ad exprimendas suorum Numinum figuras usi fuerint etiam Græci. In parietibus Templorum Ægyptiorum adhuc reliquis visuntur hodie etiam admirandi ejusmodi anaglypha, ut Paulus Lucas in suo Itinerario testatur. Philostratus in vita Apollonii Libro II. Capite 9. Indicum describit Templum anaglyphis ornatum, deinde Capite 10. ita Apollonium loquentem ad Damidem inducit: *Hæc autem, o Damis, quæ nunc intuemur, Pori jussu fabricata opera, non SCULPTURÆ solum esse dicimus, quoniam Picturis assimilantur, neque rursus PICTURÆ duntaxat opus, quoniam EX ÆRE fabricata conspicimus; sed hominem Sculpturæ simul Picturæque peritum illa perfecisse putandum est, qualis ab Homero in Achillis fabricando clypeo inducitur Vulcanus.* ἀλλ' αἰτώμεθα σοφίσασθαι αὐτὰ γραφικόν τι, καὶ χαλκευτικὸν ξένα ἄνδρα οἷον δή τι παρ' Ὁμήρῳ τῷ Ἡφαίστου περὶ τὴν τοῦ Ἀχιλλέως ἀσπίδα ἀναφαίνεται. Planam omnino vides mediamque Sculpturam, in qua figuræ minimum protuberabant, & adeo leviter insculptæ erant, ut pictæ prope viderentur. Sic Majores etiam Deos in Lucis sacris (qui antiquissimorum Templa,) INSCULPTOS, canebat Statius Libro Thebaidos IV.

Nemori Latonia Cultrix

Additur: hanc piceæ, cedrique, & robore in omni EFFICTAM, sanctis occultat sylva tenebris.

Y Lucia-

Lucianus, ingressus in Templum Deæ Syriæ, omnes, quæ in eo colebantur, imagines Numinum describens, *inter Jovis & Minervæ Simulacrum*, inquit, *stat Imago ex auro, alia nulla parte aliis imaginibus similis. Suam hæc formam non habet, gerit autem ALIORUM DEORUM SPECIES. SIGNUM vocatur ab Assyriis*. τὸ δὲ μορφὴν μὲν ἰδίην οὐκ ἔχει, φορέει δὲ τῶν ἄλλων θεῶν εἴδεα. καλέεται δὲ σημήϊον, *nec nomen ei proprium posuere, sed neque de ortu illius, aut forma dicunt, sed alii ad Bacchum, alii ad Deucalionem, ad Semiramidem alii, & factum a Semiramide SIGNUM* σημήϊον *fabulantur*. Nemo heic non intelligit, agere Lucianum, aurea ac Panthea veluti de Tabula, aut aureo de velo, in quo plurimæ insculptæ, vel intextæ, erant Numinum imagines, inter Statuas Jovis & Minervæ in Æde Deæ Syriæ collocato & culto. Quid enim obsecro vox σημήϊον, quæ *SIGNUM* vertitur? Non aliud profecto, quam imaginis imago; non aliud, quam imago aliam imaginem significans & indicans, effigies, imitatione, ab aliqua imagine expressa; Signaculum imaginis aliqua in materia insculptum, vel impressum, Tabula denique, aut velum, aut tapete, aliqua imagine notatum ac insignitum, ut ex Suida, Henrico Stephano, Budæo, Gesnero in hunc Luciani locum, Peucero, in Lexico, ex Ammonio Lesbonacte, & Philopono, contexto, aliisque sexcentis intelligitur. Sic ille apud Aristophanem in Equitibus Actu II. Scena 4.

Fieri nequit, meus ut sit isthic annulus.

Quo-

Quoniam aliud apparet SIGNUM.
. . . . Τὸ γοῦν σημεῖον ἕτερον φαίνεται.

Et Pythagoras, ut in ejus vita tradit Jamblichus, nolebat *gestandum esse SIGNUM, sive IMPRESSAM in annulo Dei imaginem*, ἐν δακτυλίῳ μὴ φέρειν σημεῖον Θεοῦ, propterea inter Simulacra Jovis & Minervæ, quorum cultum in illo Deæ Syriæ Templo fuse describit Lucianus, aureum prostabat hoc anaglyphon, seu tapete aureum, pictæ instar Tabulæ plures continens Numinum effigies, ac species repræsentans, quæ cum Minerva & Jove adorarentur.

Ast de hoc iterum dicemus, post nonnulla anaglypha descripta. Laudatus siquidem Philostratus in vita rursus Apollonii, de Oxydacris disserens, positos eos asserit Hypasidem inter Gangemque: Herculem vero Ægyptium, & Bacchum, dum Indiam cum copiis peragrarent, adversus ipsos communi consilio militasse, occupatisque agris accessisse ad urbem: tum repente tonitrua fulguraque frequentia de cœlo missa, quæ fugere armatos compulerunt. *Ubi autem CLYPEUM abjecisse Herculem ferunt*, subdit Philostratus, *quem Sapientes illi, RELIGIONIS CAUSSA, in Templo erexere, tum in honorem ipsius Herculis, tum ob ipsius etiam Clypei virtutem, in ipso quippe HERCULES INSCULPTUS ERAT, terminos terræ penes Gades collocans, & montibus quasi constitutis Oceanum excludens.* καὶ πεποίηνται αὐτὴν ἀνάθημα οἱ σοφοὶ διά τε τὴν τοῦ Ἡρακλέους δόξαν, διά τε τὸ ἐκτύπωμα τῆς ἀσπίδος, κ. τ. λ. Vel si fabula hæc fuerit, attamen CLYPEOS erigi, consecrari, coli-

que solitos respicit Philostratus, in quibus Numina ac Heroes insculpere moris erat; nec enim peltæ, scutaque & communia ancilia cum CLYPEIS HISCE confundenda sunt, quippe nil aliud isti erant, quam Imagines quædam clypeatæ, aliquando graphica quidem arte, sive coloribus, sed sæpius adhuc arte anaglyptica expressæ, quas aut parietibus adfigebant, aut columnis appendebant; ideoque & στηλοτυπάκια dicebantur. Isidorus in Glossis: *CLYPEI, ubi imagines proponuntur.* Pulcherrimum ex argento puro, quamvis tantummodo votivum, sed figuris insculptis ornatissimum, adfert Sponius in Miscellaneis eruditæ Antiquitatis Sectione IV. p. 152.

Lucianus in Schyta imaginem insculptam, cultamque ita describit: *Toxaris Athenis mortuus est; neque ita multo post PRO HEROE EST HABITUS, sacrificantque illi Athenienses,* καὶ ἐκτίμηνται αὐτῷ οἱ Ἀθηναῖοι, *quibus licuit Deos facere in ipsa Græcia Schytas.* Animadvertit heic Gesnerus, Lucianum loqui ut de Brasida Thucydides V. 11. Οἱ Ἀμφιπολῖται περιέρξαντες αὐτοῦ τὸ μνημεῖον, ὡς ἥρωι τε ἐντέμνουσι. Græcorum igitur Heroas cum Divis, sive Principibus consecratis Romanorum conferendos esse, etiam Spanhemius docuit Dissertatione IX. de usu & præstantia Numismatum. Verbum certe ἐντέμνουσι interpretatur Scholiastes ἐναγίζουσι, ἐναγίσματα προσφέρουσι, θύουσι. Vocem pariter ἐναγίζειν de sacrificiis, quæ Heroibus, non immortalibus, ut ajebant, Diis offerebantur, usurpavit Herodotus Libro II. Cap. 44. Trophonio & Amphilochio Heroibus Templa fuisse erecta, ex III. inter Dialogos Mortuorum Luciani

certi

certi sumus; nec in concertatione nostra adversus recentiores Græcos officit, quod pro opinione plurium minor fuerit ille Heroum cultus, quum nisi minore de cultu sermo sit dum agitur de Imaginibus Sanctorum. Postquam itaque narravit Lucianus, cur Athenienses Toxarim illum Schytam in Heroem consecrassent, ita pergit: immolant adhuc ipsi hodie album equum, ad ejus nempe monumentum, ad quod columna erecta fuerat, *in qua* *SCHYTICO ORNATU INSCULPTUS ERAT*, ἐπὶ τῇ στήλῃ ἀνὴρ ἐγκεκόλαπτο. Planam utique mediamque ejusmodi Sculpturam locum præsertim in Cippis habuisse, columellis, atque tumulis Heroum, ostendit Pfeifferus Libro Antiquitatum Græcarum IV. Capite 56. Quanta vero fuerit Græcorum diligentia in exornandis aptissimarum rerum descriptione suorum sepulcris, quæ ob eam rem præstantia, ac æstimatione Latinis plerumque antestiterunt, fidem facit Subalpinorum Eruditorum decus, Cl. Paciaudius, pulcherrima in Diatribe, qua Græci Anaglyphi interpretatio traditur, ac uberrime illustratur.

Ad Picturam autem optimo referri jure solent opera texturæ, quæ, ob similitudinem, *pingi* tum latino, tum græco sermone etiam dicuntur, ut in celebri Palladem inter, & Arachnem texendi certamine ex Ovidio constat, nec non ex Tullio Libro in Verrem IV. scribente: *Nego ullam Picturam, neque in Tabula, neque* *TEXTILEM* *fuisse, quin conquisierit, inspexerit, quod, placitum sit, abstulerit.* Aristophanes etiam in Ranis Actu IV. Scena I.

Qualia

Ubi textoria opera proprio Picturæ nomine appellant. Jam vero tales Deorum, Heroumque imagines textorio opere expressas, a Gentilibus cultas fuisse, dubitandum non est. Rigaltius siquidem ad illa Tertulliani, quæ ex Libro de Idololatria jam citavimus: *Exinde jam caput facta est IDOLOLATRIÆ ars omnis, quæ IDOLUM quoquo modo edit, neque enim interest, an plastes effingat, an cælator exsculpat, an phrygia detexat, quia nec de materia refert, an gypso, an COLORIBUS, an lapide, an ære, an figulo formetur Idolum.* Rigaltius, inquam, ad hæc adnotat, legi oportere: *AN FILO FORMETUR IDOLUM*, quod Idola a Phrygione FILO formarentur. Erant igitur effigies Numinum textorio opere expressæ, IDOLA vocatæ a Gentilibus, & ut vera Idola adoratæ. Et vero fuse narrant Athenæus, & Plutarchus, qua impudentia, ob liberatam ab Antigono & Demetrio Græciam, divinos ipsis honores tribuerint Athenienses. Ait siquidem Athenæus Libro Deipnosophistarum XII. quum Athenis Demetria celebrarentur, *eum Athenienses PINXISSE Orbi terrarum insidentem, ἐγέγραπτο ἐπὶ τῆς οἰκουμένης ὀχούμενος.* Plutarchus autem in Demetrii vita testatur, Athenienses *non modo Demetrium & Antigonum, Deos Servatores, & Præsulem Atheniensium, Servatorum Sacerdotem vocari jussisse, sed in eo loco, ubi primum descendit Demetrius, sacrificiis peractis, aram locavisse, quam ejus aram appellari voluerunt, unaque decrevisse,* ut

ut *Antigonus & Demetrius* IN PEPLO, *ſimul cum Jove & Pallade* INTEXERENTUR. ἐνυφαίνεσθαι δὲ τῷ πέπλῳ, μετὰ τῶν θεῶν αὐτοὺς ἐψηφίσαντο. His alia addit Plutarchus ab Athenienſibus in illorum honorem Regum, ceu majores coram venerati eſſent Deos, impudentiſſimam per aſſentationem perpetrata; at divinam vindictam illico ſequutam, PEPLUM enim in quo Demetrius & Antigonus erant ſimul cum Numinibus contexti, quum per Ceramicum circumferretur, ingenti ſuperveniente, procella, medium fuiſſe ſciſſum, omnemque pompam diſſipatam ac peſſumdatam fuiſſe: quare Philippides, quum inimicus eſſet Stratoclis, qui ut divini decernerentur Regibus honores auctor fuerat, hæc adverſus eumdem in Comœdia protulerit:

Per quem ſciſſum in medio PEPLUM *eſt*,
Honores divinos mortalibus tribuentem:
Hæc populum corrumpunt, non Comœdia.

Dum igitur Ethnici verorum, ut rebantur, imagines Numinum in velis aut tapetibus textas religioſe circumferebant in pompis ſacris, debitos divinoſque honores illis ſe tribuere exiſtimabant.

Et vero, rametſi velamenta Statuarum Numinum ſæpenumero ejuſmodi PEPLI forent, unde haud recens eorum de figura & forma apud Interpretes antiquarum rerum controverſia; aliquando tamen, Tabularum inſtar pictarum, colendos exhibebant Heroes atque Deos, in Templis ſupendebantur, magis vero ſumma cum religione circumferebantur in ſole-

solemnis ac pompis sacris; ut imagines in eisdem expressæ ita colerentur. Socratem inducit Plato in Eutyphrone sic loquentem: *Existimasne revera bellum gravesque simultates, & pugnas inter Deos existere, & alia ejusmodi, quæ a Poetis commemorantur, a bonis vero PICTORIBUS, cum apud nos fana variegantur, tum vero magnis Panathenæis EXIMIUM ILLUD TAPETE rerum ejusmodi emblematis varie refertum, sublimi e loco explicatum in arce?* ϗ τοῖς μεγάλοις παναθηναίοις ὁ Πέπλος μεςὸς τῶν τοιούτων ποικιλμάτων ἀνάγεται εἰς τὴν ἀκρόπολιν, Peplum denotabat Plato a Virginibus contextum, in quo gesta Minervæ expressa conspiciebantur, quemque Athenienses quinto quoque anno in Panathenaicis religiose circumferebant, prosequentibus omnis ordinis ac ætatis viris, atque feminis; quare illa Statii Libro Thebaidos X.

PEPLUM etiam dono, cujus mirabile textum
Nulla manus sterilis, nec dissociata marito
Versarat calathis, castæ velamina Divæ,
Haud spernenda ferunt: variis ubi plurima floret
Purpura PICTA modis, mixtoque incenditur auro.
Ipsa ILLIC magni thalamo desponsa Tonantis
Expers Connubii, & timide positura sororem,
Lumine demisso pueri Jovis oscula libat
Simplex, & nondum furtis offensa mariti.

Pictam variis dicit modis, scilicet textura varia purpuram contextam, ac nedum imagines Deorum, sed & eorum affectus, quasi egregii penicilli opus, exhibea-

bentem. Talis vero tantaque erat ejusmodi sacra supplicatio, celebritas, & pompa, ut ad eam Exteri, & qui prope numquam Athenas accedere solebant, convenirent, quare Plautus in Mercatore Prologo v. 66.

* *Neque nisi quinto quoque anno posse invisere*
Urbem atque extemplo inde, ut spectavissem PE-
PLUM,
Rus rursum confestim exigi solitum a Patre.

Meminit Euripides in Hecuba, & ad eum Scholiastes, Aristophanes in Nubibus, Proclus in Timæum Platonis; Virgilius Libro Æneidos I, Suidas ad V. Πέπλος, cujus mentem adversus Scribanium illustrat Gisbertus Cuperus Epistola XVIII ad Monfauconum. Nec velamentum fuisse Deæ, solitum celebrari Peplum officit, præterquamquod enim satis constat, Simulacrum Atheniensis Minervæ XXXIX. pedes altitudinis habuisse, propterea prope immenso indiguisse peplo ac velo, quod magis illa indicant plurima eodem in velamento contexta; accedit, varii fuisse generis atque usus peplos, ac Eustathium varia inter etyma, etiam a πετάσθαι nomen hoc deducere, idest EXPANDI EXPLICARI, ἐξαπλῶσθαι, quod revera in supplicationibus præsertim ac sacris in pompis expanderentur, explicarenturque Pepla illa, nostrorum instar *Confalonum*, sive *Confanonum*, in quibus Sodalitia sacra suorum expressas habent sive coloribus, sive opere textorio, imagines Sanctorum. Cur enim ille apud Plautum Athenas proficisci so-

 litus

situs fuisset ad visendum, quod gestabatur in supplicatione, peplum curve Socrates interrogare potuisset, num existimandum foret, bellum ne revera, gravesque simultates ac pugnæ inter Deos essent, vel cetera ejusmodi, quæ POËTÆ commemorabant, quæque in Templorum parietibus PICTORES exprimebant, quæ denique IN EXIMIO ILLO TAPETE, quod in Panathenæis ferebatur, visebantur, nisi Tapetia ejusmodi adeo explicata deportarentur ac expansa, ut imagines Deorum in illis intertextæ ac expressæ a populo contemplari potuissent, ideoque ab ipso honorari? Egregie ostendit hoc Auctor, Ciri 28.

Ergo Palladis texuntur in ordine pugnæ,
Magna Gygantæis ornantur PEPLA tropheis;
Horrida sanguineo PINGUNTUR prælia cocco,
Additur aurata dejectus cuspide Typho,
Qui prius ossæis consternens æthera saxis,
Hemato cælum duplicabat vertice Olympum.
Tale DEÆ VELUM solemni in tempore portant.

Negaverit revera nemo, supplicationes illas ad præcipuum cultum Numinum spectasse, quod infinitis a Scriptoribus, sed præsertim ab Hospiniano, toto Opere de Festis Ethnicorum, ostensum est. Idoneæ erant vero quammaxime Deorum ejusmodi imagines sive in Tabulis, sive in Tapetibus, ac Velis, anaglypticо, vel textorio opere expressæ, quæ sacris in pompis circumgestarentur, & facilius quam Statuæ. Lucianus de Syria Dea, post illud Templum magnifice descri-

descriptum, pompam sacram in honorem Deæ celebrari solitam describit, *CIRCUMLATIS DIIS*, περινικαστης τὰ ἱρὰ, additque. *Ad hoc solemne multi homines conveniunt e Syria, & regionibus circum omnibus, feruntque suos omnes Deos, ET QUÆ SIGNA HABENT AB ILLIS EXPRESSA.* Φέρουσι τε τὰ ἑωυτῶν ἱρὰ ἕκαστοι, καὶ τὰ σημεῖα ἔχουσι ἐς τάδε μεμιμημένα. Quæ res adhuc est clarior in Textu denotante Imagines Imaginum, Effigiesque imitatione ab aliis Imaginibus expressas, Vexilla demum, aut Tapetia, aut Vela, vel Tabulas imaginibus Deorum insignitas. Quem ad morem Libro Setosu sui primo alludens Terassonus, pompamque funebrem describens, ad quam convenisse fingit diversos Ægyptiorum greges Sacerdotum, unicuique eorum Sodalitio sua tribuit Vexilla, in quibus diversorum, pro diversitate regionis atque Sacerdotii, depictæ imagines ac symbola erant Ægyptiacorum Numinum. Opportunius est adductum Luciani testimonium & factum ad supplicationes Gentilium explicandas, sed præcipue ad locum Theocriti intelligendum, qui Idyllio XV. spectaculum sacræ supplicationis ac pompæ exhibens, Alexandriæ celebratum, sive Adonia Vates ille canens, Syracusanas quasdam mulieres pompam spectantes, ac ita colloquentes inducit:

GORGO:

Praxinoe huc ades, HÆC TEXTILIA primum specta,
Quam ex tenui filo sunt, & venusta! Deorum opera esse dixeris.

PRAXINOE:

Veneranda Minerva! quales lanificæ illæ elaborarunt?
Quales Pictores tam exactas Picturas pinxerunt?
Quam evidenter adstant, quamque evidenter moventur!
Animata sunt, non TEXTILIA; sapiens quædam res est homo.
Ipse vero quam admirandus in argenteo jacet
Toro, primam lanuginem circa tempora spargens
Multipliciter amabilis Adonis, qui etiam apud Inferos amatur!

Πραξινόη.

Ποτνὶ Ἀθηναία, ποῖαί σφ' ἐπόνασαν ἔριθοι;
Ποῖοι ζωογράφοι τ' ἀκριβέα γράμματ' ἔγραψαν;
Ὡς ἔτυμ' ἑστήκαντι, ἢ ὡς ἔτυμ' ἐνδινεῦντι,
Ἔμψυχ' οὐκ ἐνυφαντά, κ. τ. λ.

Banierius in Mythologia sua, sive Fabulis ex Historia explicatis, Tomo III. Libro VII. Capite 2. hunc Theocriti locum ita explicat *La pompe étoit formée par d'autres Dames qui portoient des riches tapis, sur lesquels étoient deux lits en broderie d'or & d'argent, l'un pour Venus, & l'autre pour Adonis.* Nempe fortasse legerat Theocriti Scholiasten, ad vocem ἔριθοι tantummodo adnotantem· *ἔριθοι δὲ ἱερουργοί ἤγουν, ἱερουργοί.* Viderat deinde fortasse Vossiam Libro de Origine & Progressu Idololatriæ II. Capite 4. qui ad hæc nil aliud scripserat: *Adonidi & Veneri lectus sternebatur, ut ait Theocritus in* Ἀδωνιαζούσαις. Belle adeo interpretamur difficiliora Scriptorum loca, dum uno in Opere infinita interpretamur. Cur non heic clare videmus mores ac cæremonias sacrarum apud Ethni-

Ethnicos ſupplicationum, in quibus, ut mox ajebat Lucianus, ſexcentique deſcribunt Auctores, non tam Deorum ferebantur Statuæ, verum etiam SIGNA QUÆ HABEBANT EX STATUIS EXPRESSA, Vexilla nempe, aut Tapetia, aut Vela, illorum imaginibus Deorum inſignita? Præterquamquod enim Theocritus aperte dicit Adonidem, ideſt, Statuam Adonis ſuper argenteo jacuiſſe toro, *ἐν ἀργυρέῳ κατάκειται κλισμῷ*, dum Vates pompam & ſupplicationem Adonidis incedentem pingit, mulieres inducit, non ſine emphaſi ac energia admirantes quæ deferebantur TEXTILIA imagines continentia nobili arte elaboratas, quas veluti viventes, ſeque ſe moventes, ac prope animatas appellabant. Procedebant igitur Laniſicæ, ſacræ veluti in pompa Adonidis miniſtræ, deferebantque Tapetia ac Textilia explicata & expanſa, in quibus erant Deorum imagines contextæ, in Adonus circumgeſtandæ & colendæ: quod tanto magis verum eſſe debet, quanto agebatur de pompa Alexandriæ celebrata, deque imaginibus Numinum arte ac manu Ægyptiacorum Artificum expreſſis: quippe quam claruerit Ægyptus elegantiſſimis tapetibus, ac ſubtiliſſimis textilibus, quamque celebrati eſſent Acupictores Ægyptiaci, qui dum veſtes intexerent, varias æque formas ac figuras mille coloribus effigiare noſſent in tapetibus, poſt Plinium, Lucanum, Martialem, Schindlerus, Dietericus, Theodorus Haſæus, Turnebus, aliique data opera oſtenderunt. Nonne univerſa ab Antiquitate, Herodoto præſertim, Æliano, & Plinio, lineus ille thorax celebratus eſt, quem Minervæ Lindiæ conſecraſſe Amaſim

Amasim Ægypti Regem ferunt, quique in Infula Rhodiorum, Minervæ in Templo oftendebatur?

Lucianus in eodem de Syria Dea tractatu, poft illam Imaginem defcriptam, quæ inter Jovis, ut dicebamus, & Minervæ Simulacra illo in Templo colebatur, quæque plures Deorum figuras exhibebat, & σημήϊον erat, Tabula fcilicet aurea, vel aureum Tapete plurimis Numinum imaginibus infignitum ac notatum, addit, *DEFERTUR VERO bis quotannis ad adferendam, quam dixi, aquam.* ἀποδημεῖ δὲ δὶς ἑκάστου ἔτεος ἐς θάλασσαν ἐν κομιδῇ τοῦ εἶπον ὕδατος. Nempe Syriæ illud Templum Deæ antea defcribens dixerat: *Bis unoquoque anno de mari aqua in Templum venit. Ferunt eam non Sacerdotes folum, fed Syria omnis, & Arabia, & trans Euphratæ multi homines ad mare accedunt, & aquam ferunt omnes, quam primo in Templum effundant.* Generalem vides fupplicationem cum σημηΐῳ illo celebratam, non Vexilli inftar, aut Confalonis, fed inftar potius facræ & colendæ Imaginis delato. Similitudinem rei, ut ita dixerim, habemus in iis, quæ Venerabilis Beda narrat Libro Hiftoriæ Anglorum I. Capite 25. Auguftinum nempe Monachum, atque ejus Socios obviam iviffe Hedilberto Regi, *Crucem pro Vexillo ferentes argenteam, & Imaginem Domini Salvatoris IN TABULA DEPICTAM.* Similitudinem dicimus ad notionem rei efformandam, non ut facras legitimafque cæremonias cum idololatricis profanifque conferamus. Subit enim heic animum quod commodum animadvertit Calmetus in Commentario ad Caput VI Baruch 3. ubi illa: *Nunc videbitis in Babylonia Deos aureos & ar-*

gen-

genteos, & lapideos & ligneos, *IN HUMERIS PORTARI.* Ad quæ nempe ita Vir ille egregius: *Nihil vetustius hoc more, in solemnibus supplicationibus, hominum humeris Deos gestandi, EODEM FERE PACTO, quo Sanctorum reliquias magnificis impositas ferculis, NOS QUOQUE DEFERRE CONSUEVIMUS. HÆC CÆREMONIA IN SE NIHIL MALI CONTINET. At Propheta isthic sacrilegum Idolorum cultum, & inanem terrorem, quem in populis ciere Ethnici illi optabant, redarguit. Sacerdotes enim, credulæ plebeculæ os sublinentes, testabantur, Deos de fanis suis atque delubris egredi, ad populum late videndum, ejusque honores excipiendos.* Novimus quanti pretii sit Religio vera: novimus quam falsa & odiosa sit hypothesis Spenceri, ac Marshami de sacrarum origine cæremoniarum: novimus quot quantique celeberrimi Orthodoxi nonnullis egerint de ritibus Gentilium purgatis ab Ecclesia, & ad usum fidelium tandem consecratis. aliisque nos in operibus ostendimus, nec Hebræos ab Ægyptiis, nec hos ab illis sacras accepisse cæremonias, sed utrosque a progenitoribus humani generis eas deduxisse, primisque ab hominibus, vel a Patriarchis; quodque ad pompas sacras & ad supplicationes spectat, in sententia versamur doctissimi Carmelii, qui hanc inter consuetudines populorum posuit ita, ut sic dicam, naturales, fieri ut si velint, suapte natura, ullo absque præceptore, absque ulla imitatione, simili prope modo fieri a cunctis debeant, & porro similiter semper factæ fuerint, & fiant: commendabiles ac piæ si sanctam juxta Legem, leves ac inanes si secus celebrentur.

Et

Et vero Parte I. Inscriptionum Antiquarum Græcarum, & Romanarum, quæ exstant in Etruriæ urbibus, quasque Cl. Gorius edidit ac vulgavit, lapidem sacrum explicans, qui sacram repræsentabat supplicationem atque pompam, ita scripsit pag. 376. Antonius M. Salvinius: Pastophorii forma, & figura, ejusque ornamenta, quæ nunc primum luce donantur, in nostro marmore observanda sunt. Pastophorium putat Cuperus juxta etymon φέρω τὸν πάστον, fuisse thalamum, vel ædiculam, in qua Deorum Simulacra posita, quod a Sacerdotibus portabatur in pompa & supplicationibus *Verum nulla in hoc marmore*, subdit Salvinius, *neque Simulacri, neque thalami, neque ædiculæ, neque parvi sacelli, aut tentorii forma. Quare quamvis non videamus manticæ, quod in tergo est, Pastophorium puto fuisse TABULAM LIGNEAM BIFRONTEM, UTRIMQUE SIVE PICTAM, SIVE CÆLATAM, fortassis etiam vel inauratam, vel argentatam, CUM DEORUM, QUI COLEBANTUR, EFFIGIE. Cui quoque non abludunt, (si sacra cum profanis conferre fas est,) PICTÆ TABULÆ, QUÆ A NOSTRIS SODALITATIBUS IN SACRIS SUPPLICATIONIBUS GESTANTUR, QUÆ SANCTORUM IMAGINIBUS EXORNANTUR.* Addit Salvinius locum ex Apuleii Libro Metamorphoseon XI. ubi Sacerdotis maximi munus fuisse asserit: *DIVINAS EFFIGIES PROGERERE*, non *Divinam effigiem*, ut perperam nonnulli scribunt. Si Ethnici in supplicationibus, pompisque suis sacris, effigies Deorum progerebant, in Tabulis depictas, vel in ex-

pansis

pansis velis ac tapetibus contextas, eos ita quidem religioso cultu adorabant.

Innumera heic addi possent Deorum de imaginibus in portis urbium ac ædium, in puppibus navium, inque foris ac publicis locis, religionis, cultus, cælestisque præsidii caussa, sive insculptis, sive pictis, entextisque. Verba sunt Francisci Junii Libro II. de Pictura Veterum Capite 8. Portæ urbium, & privatarum ædium januæ universæ, olim PICTURA conspicuæ erant; quemadmodum in ipso statim suburbiorum introitu MARTEM DEPINGEBANT, innuentes, Martis patrocinio, quæ extra urbem erant, indigere: cujus in confirmationem rei Scholiasten allegat in Æschili ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, atque Tzetzem ad V. 356. Lycophronis Cassandræ. Ad imagines quoque Numinum in privatarum januis Ædium depictas respexit Ausonius Epigrammate XXIV.

Ceris inurens Januarum limina,
Et Atriorum pegmata.

Quibus illustrandis plura adfert Salmasius in Solinum. Tertullianus Libro de Idololatria Capite 15. scripserat. *Apud Græcos Apollinem Thyræum, & Antelios Dæmones, ostiorum Præsides legimus. Si autem eorum sunt, QUÆ IN OSTIIS ADORENTUR, ad eos & lucernæ, & laureæ pertinebunt. Idolo feceris, quidquid ostio feceris.* Heinc de Numinibus in ostiis ædium & urbium, religionis caussa, depictis, insculptis, exculptisque, plura Septimi Interpretes,

Lacerda, & Pamelius. Libro autem II Historiæ Ecclesiasticæ Capite 29. de thoracibus Serapidis apud Alexandriam abrasis, & Signo Christi in loco eorum reddito agens Ruffinus, inquiebat: *Sed & illud apud Alexandriam gestum est, quod etiam thoraces Serapis, qui per singulas quasque domos IN PARIETILUS, IN INGRESSIBUS, IN POSTIBUS ETIAM AC FENESTRIS erant, ita abscissi sunt omnes ac abrasi, ut ne vestigium quidem usquam, vel nominis appellatio, aut ipsius, aut cujuslibet alterius Dæmonis remaneret, sed pro his Crucis Dominicæ Signum unusquisque in postibus, in ingressibus, in fenestris, in parietibus, columnisque DEPINGERET.* Quod sane factum, & quam mutationem, ex querelis Juliani Apostatæ similiter habemus, apud Cyrillum Alexandrinum Libro contra Julianum VI. ubi ita Cæsar ad Christianos. *At vos infelicissimi homines, quum adorare & colere nolitis ancile, quod penes nos servatur, æternæ urbis certissimum pignus cœlitus delapsum, & a magno Jove, aut Marte patre demissum, Crucis lignum ADORATIS, ET VESTIBULIS ÆDIUM INSCULPITIS.* τὸ τοῦ σταυροῦ προσκυνεῖτε ξύλον, καὶ πρὸ τῶν οἰκημάτων ἐγγράφοντες. Conferunt heic tam Julianus, quam Ruffinus, Signum Crucis a nostris depictum, vel insculptum in ingressibus urbium ac ædium, in postibus, in fenestris, cum imaginibus Deorum, quas Ethnici antea pinxerant, insculptasque voluerant in iisdem locis. Ut nostri vero pictam, insculptamque in Tabulis figuram Crucis in sublime suspendentes, inque ædium fronte, in arcubus, in domibus, in cubiculis pingentes, imaginem ejus-

ejusmodi summa sic religione coluisse dicebantur, ita Ethnicos nisi aliquo religionis sensu, ac spe in eorum præsidio posita, imagines, scuta, thoraces suorum Numinum publicis ac perspicuis depinxisse, vel insculptos voluisse in locis credendi non sunt, præsertim quum Gentiles rebus omnibus suos adsignassent Genios, quos angue picto repræsentabant:

PINGE duos angues, pueri facer est locus.

Nec ullus prope angulus, qui tutelam non haberet suam, Equili non excepto, quo Epona pertinebat, quippe equorum stabulorumque Præfecta, quare Juvenalis illa Satyra IX.

Jurat
Solam Eponam & facies olida ad Præsepia PICTAS.

Hoc est, *Eponæ facies PICTAS*, ut Libro de Origine & Progressu Idololatriæ IX. Capite 33. intelligendum docet Vossius; qui ex Tertulliano, & Apulejo, quomodo coleretur Pictura ejusmodi describit.

Ad hasce pertinent imaginum Deorum classes, Tutelæ, in navium puppibus, coloribus expressæ. Quamvis enim aliquando sculptæ Tutelarum ejusmodi effigies fuissent, (etsi in acrostoliis tunc potius, quam in puppibus ponerentur;) plurimum tamen PICTAS fuisse, testatur Lilius Gregorius Gyraldus, Libro de Navigiis Veterum Capite 9. scribens: *Sed & Deorum nominibus, in quorum tutela navigia essent; plerumque nuncupabantur, quippe in*

 illis

illis DEPICTI essent; quod notissimis Ovidii, Lucani, Valerii Flacci, aliorumque testimoniis confirmat. Aristophanem addimus in Ranis Actu IV. Scena I.

Pro signo in Navibus DEPINGI solebat.
Σημεῖον ἐν ταῖς ναυσὶν ἐνεγέγραπτο.

Ut magis scilicet, magisque quid Σημεῖον, de quo dicebamus, fuerit, intelligatur. Factum autem fuisse nonnunquam, ut quod erat Tutela in navi, id ipsum etiam pro Signo poneretur, ex Procopio intelligimus in Caput Isaiæ XII. scribente: *Ductum fuisse Paullum inquit Lucas in Alexandrina navi, cui Signum erat Castor & Pollux, in proris siquidem effigies Deorum DEPICTÆ erant.* ταῖς γὰρ πρώραις αἱ θεῶν εἰκόνας ἐνέγραφον. Cyrillus in Catena ad eumdem Prophetam a Daniele Heinsio laudata: *Actorum Scriptor Apostolicorum inquit Paullum cum Sociis ascendisse Alexandrinam navim, cui Dioscuri Signum erant: perpetua Alexandrinorum consuetudine talium effigies Numinum PINGENDI in dextra, sinistraque proræ.* ἔθος γὰρ πως ἀεὶ ἐν ταῖς Ἀλεξανδρείων μάλιστα ναυσὶ πρός τε τῆς πρώρης δεξιᾶ τε καὶ εὐώνυμα γραφὰς εἶναι τοιαύτας. Ad rem nostram propius, quod Procopius addit in locum Isaiæ allegatum: *Ita Ethnicorum in navibus PICTAS fuisse suorum effigies Deorum, uti nunc in nostris PICTÆ SUNT effigies Sanctorum Martyrum.* ταῖς γὰρ πρώραις αἱ θεῶν εἰκόνες ἐνέγραφον, ὡς καὶ νῦν ἁγίων Μαρτύρων. Quemadmodum igitur, religionis ergo, nostros nos in navibus

vibus Sanctos pingimus; ita, religionis caussa, in navium puppibus pingebant, vel sculpserant in proris Ethnici Deos suos, immo magis advocabant, ut Ovidii ea ostendunt Libro Tristium I. Elegia 10.

Est mihi sitque precor, flavæ Tutela Minervæ Navis &c.

Præsertim quum non Heroum, sed Deorum tantummodo Dearumque effigies, Tutela navium essent, ut ad Silium Italicum Libro XIV. Burmannus ostendit; proindeque tanta Gentilium foret erga tales imagines religio, ut ad eas Nautæ vota conciperent, fœdera ante illas, veluti ad aras, sancirent, eas demque, dum opus foret, expiarent, uti non apud Seldenum modo, Beyerum, Stanlejum, Junium, Salmasium, Zeibichium, Walchium, sed præsertim legere est apud Schefferum Libro III. de Militia Navali Veterum Capite 1.



CAPUT

CAPUT X.

De Imaginibus Imperatorum pictis & insculptis, deque eorum Vexillis & Lauratis in Idololatria cultis.

NON recentiores modo Græci, sed plurimi alii quamvis doctissimi Scriptores, propterea quod in hoc de cultu profanarum Imaginum negotio immane non perpenderunt finis, motis, temporis, intentionis, sensus, cultorum denique objectorum, ac hominum colentium discrimen, varias lapsi sunt in ambages, & aliquando a veritate recessere. Res acta a nonnullis est, ut ita dixerim, in globo, quæ erat in partes dividenda: quippe si externum tantummodo respicimus Gentilium cultum, talis ac tanta non semel conformatus fuit inter sacrum & civilem, tamque impervium aliquando nobis est, intentionem, & finem, & mores intime callere eorum, qui profana objecta adoraverunt, tam varia, & diversa inter se, & opposita ratio agendi cogitandique fuit Ethnicorum, ut centrum, sive gradum distinctionis inter sacrum & civilem aliquorum inter eos cultum vix invenire valeamus. Ab Orientalibus Reges suos, tanquam Deos, fuisse olim adoratos creditum est: & revera Alexander, occupato Persarum Imperio, *quonam modo cælestes honores usurparet, cœpit agitare*, inquit Curtius Libro VIII. Capite 5. *Itaque more Persarum Macedones VENERABUNDOS ipsum salutare prosternentes humi corpora.* Addit Historicus ser-

mo-

monem Cleonis, quem Arrianus Libro IV. Anaxarcho tribuit, ut Macedonas scilicet divinum ad cultum Alexandro offerendum animaret: *Si quem intelligerent Deum esse, confiterentur, exigua THURIS impensa tanta beneficia pensaturi. Persas quidem non pie solum, sed etiam prudenter, REGES SUOS INTER DEOS COLERE.* Alexandrum, saltem post mortem, nonnullos duodecim adjunxisse Diis, Templaque ipsi erexisse, & sacrificia obtulisse tanquam Deo, testes sunt Lucianus, Laertius, Arrianus, & Lucani illud Libro Pharsaliæ X. 272.

Summus Alexander Regum, quos Memphis adorat.

Aliorum etiam fuit hæc labes populorum. Tertullianus siquidem ita Capite XXIV. Apologetici: *Unicuique Provinciæ & Civitati suus Deus est, ut Mauritaniæ REGULI SUI.* Minutius Felix in Octavio: *Juba, Mauris volentibus, DEUS EST.* Lactantius Libro I. Divinarum Institutionum Capite 15. *Hac scilicet ratione consecraverunt, ut Mauri REGES SUOS.* Spartianus in vita Severi: *Horum igitur tantorum, & tam illustrium Virorum interfector, ab Afris UT DEUS HABETUR.* Ut innumera ejusmodi omittamus, & quæ ad hæc habent Commentatores, ut in difficilioribus mos, ita in rebus communibus ac vulgaris semper prodigi.

Græci, qui donec ingenui fuere, servilem eam, & supra humanam, Principum adorationem semper gravem ac molestam habuerunt, in suarum deciso rerum, vel in servitutem lapsi, in turpissimam æque

assen-

assentationem erga Imperantes cecidere. Diximus superiore Capite, quanta impudentia ob Græciam liberatam divinos honores Antigono ac Demetrio tribuerint Athenienses. A Romanis superati Græci, Asiæque Græcæ Civitates, ipsos Provinciarum Præsides, ne infinitum nocerent, tanquam iratos Deos, supremis placare honoribus non erubuerunt, inde enim illa Tullii, ut se de more, sed summo tunc jure, suamque laudaret moderationem, dum Epistola XXI. Libri V. ad Atticum ex Provincia Magistratum agens scriberet: *Ob hæc beneficia, quibus illi obstupescunt, nullos honores mihi, nisi verborum, decerni sino, fana, τέθριππα prohibeo.* Aucta sub Imperatoribus Dominantium credulitate ac potentia, augeri & assentationem oportuit, adeo ut sive Cæsares ipsi, sive eorum Genius, in imaginibus etiam adorati fuerint non semel, videlicet tum magis, quum sæviora monstra imperavere. Hujus testis rei Historia omnis Romana est nemini non pervia. Lucianus in Apologia pro mercede conductis, ita illius rationem cultus vindicabat: *Neque ipse Imperator mercedis expers est: non vectigalia dico, neque tributa, quæ a Civibus quotannis veniunt; sed est Imperatori merces maxima laudes & gloria apud omnes, & quod beneficiorum caussa ADORATUR. IMAGINES PORRO, AC ÆDES, AC TEMPLA, quæ habent a Civibus, merces & ista sunt &c. καὶ τὸ ἐπὶ ταῖς εὐεργεσίαις προσκυνεῖσθαι. εἰκόνες δὲ καὶ νεὼ, καὶ τεμένη, ὁπόσα παρὰ τῶν ἀρχομένων ἔχουσι.* Quod magis adhuc confirmat Philonis Judæi Oratio de Legatione ad Cajum: quum enim postularentur Judæi coram ipso, de honore illi non exhi-

exhibito, respondisse his verbis Legatos Judæorum refert: calumniis petimur, Domine, immolavimus hecatombas libatoque ad aram sanguine integras victimas exurendas sacro igni tradidimus, primum quando successisti in Imperium: iterum quando gravem illum morbum evasisti. tertio pro Germanica victoria. Ad quos ita statim Cæsar: *Esto*, inquit, *sacra fecistis, sed alteri*. ἔςω, φησὶ, ταῦτα ἀληθῆ τεθύκατε, ἀλλ' ἑτέρῳ. *Quid igitur prodest? MIHI CERTE NON FECISTIS.* οὐδὲ γὰρ ἐμοὶ τεθύκατε. *Ibi nos horror pervasit*, subdit Philo, *hac nova voce attonitos, qui se in cute quoque exeruit*. Quibusnam vero verbis concepta erat accusatio? His scilicet: *Cæsaris cultum neglexere, nulla in eorum Proseuchis umquam erecta Statua, nulla Imagine sculpta, AUT COLORIBUS EXPRESSA.* μηδὲν ἐν προσευχαῖς ἀνιερ αὐτῷ, μὴ ἄγαλμα, μὴ ξόανον, μὴ γραφὴν ἱδρυσάμενοι. Quemadmodum itaque, juxta accusatorem, Judæi satis, hoc est ut ipse volebat, Cajum tanquam Deum Simulacris erectis coluissent, ita & erectis vel anaglyphis, vel pictis ejus imaginibus. Num, obsecro, de alterutro postulati fuissent Judæi, nisi alterutro, sive potius utroque Imaginum genere Ethnici Deos suos adorassent?

Ante Cajum Tiberius, ceu regnatricis artis peritissimus, Templa, Flamines, Sacerdotes decerni sibi prohibuit, etiam Statuas atque imagines, nisi permittente se poni, permissque ea solum conditione, ne inter Simulacra Deorum, sed inter ornamenta Ædium ponerentur, si Suetonio in ejus Vita credimus Capite XXXVI. Quin apud Tacitum Libro Annalium

naHum IV. Capite 37. ita vafer ille: *Ego me, Patres Conscripti, mortalem esse, & hominum officia fungi, satisque habere, si locum principem impleam, & vos testor, & meminisse posteros volo.* Quæ tamen omnia non modo receptum jam morem divinos tribuendi Imperantibus honores indicant, verum etiam pessime fuerunt exequutioni demandata; teste siquidem Dione Libro LVIII. quum Tiberius Sejanum Consulem designavisset, suarumque participem curarum appellasset, idque S. P. Q. R. simulatione incredibili scripsisset, *eo credito decepti Romani omnibus locis æneas eis Statuas conjunctim posuerunt: IN TABULIS UNA AMBOS PINXERE, aureosque currus aureos in theatrum invexere denique decretum est, ut ad quinquennium Coss. simul ii constituerentur: utrique, quum Romam intrarent, obviam procederetur, tandem ad imagines etiam Sejani, ut ad imagines Tiberii solebant, SACRIFICAVERUNT.* καὶ ταῖς γραφαῖς συνέγραφον . . . . . καὶ τέλος, καὶ ταῖς εἰκόσιν αὐτοῦ, ὥσπερ καὶ ταῖς Τιβερίου, ἔθυον. Cecidisse tandem Sejanum subdit Dio, *quem Romani ADORAVERANT, & sacrificiis tamquam Deum coluerant.* ὅν τε προσεκύνουν, καὶ ὡς Θεῷ ἔθυον. Colebantur itaque pictis in imaginibus Imperatores, ceterique, quos illorum assentatio temporum divinis honoribus mactabat: quod recte vidit, monuitque Taciti Interpres ad usum Delphini: ubi ille quippe Libro Annalium III. scripserat: *nec tamen repertum, nisi ut effigies Principum, aras Deûm, Templa & arcus, aliaque censerent*: subjicit Interpres: *potuit effigies statui in Drusi decus, quod posset in Sejani gratiam, qui simul PINGEBATUR, ADO-*

ADORABATURQUE cum Cæſare. Eodemque in Libro, ubi Tacitus memorat, Tiberium antiquæ parſimoniæ Principem, inter cetera Romanis objicere ſolitum fuiſſe villarum infinita ſpatia, familiarum numerum, & Nationes, æris, Tabularumque miracula, addit Interpres: *TABULARUM, QUAS COLEBANT, venerabanturque mira ſuperſtitione*, cujus proinde ex mente, non aliquo tantum tempore, aut ſingulari in aliquem Cæſarum metu & ſtudio, ſed pro conſuetudine recepta, imagines illæ ſolum etiam pictæ adorabantur.

Priuſquam humanum vero, & magis quam civilem ad cultum ſpectare videtur, quod in vita Caligulæ memorat Suetonius his verbis *Inter reliquos honores decretus eſt ei Clypeus aureus, quem quotannis certæ die COLLEGIUM SACERDOTUM in Capitolium ferunt, Senatu proſequente: nobilibus pueris ac puellis, carmine modulato, laudes virtutum ejus canentibus*. Clypeum ejuſmodi, imaginem fuiſſe clypeatam, in adnotationibus ad hunc locum docet Caſaubonus. Erant tales aliquando imagines in Clypeis depictæ, ut diximus, atque ex Macrobio etiam habemus Libro Saturnalium I. Capite 3 aliquando etiam in argento aut auro inſculptæ, qualis Clypeus fuit Claudio Secundo dedicatus, ut Trebellius ait in ejus vita, conſtatque adeo ejuſmodi Cæſarum imagines, (quæ θύρεοι, & θωρακίδες, & ὅπλα, & δίσκοι Græcis dicebantur,) ſacri objectum cultus apud Ethnicos fuiſſe, ut noviſſimum pluribus ex Hiſtoricis ſit Pilati factum, qui quum Clypeos Hieroſolymitano fixiſſet in Templo, haud quievere Judæi, donec tollerentur, quia

anaglyptico in eis erant opere *προτομαὶ* VULTUS CÆSARUM impressi, neque enim adeo restitissent Judæi, nisi novissent, eas Cæsarum imagines in Clypeis insculptas religioso fuisse cultu a militibus Romanis adoratas.

Trajani moderationem ac modestiam, quod se Deum dici nollet, & Plinius junior in Panegyrico, & Martialis celebrabant, cujus ea erant carmina Libro X. Epistola LXXIV.

Ad Parthos procul ite pileatos,
Et turpes, humilesque, supplicesque,
Pictorum sola basiate Regum.

Quibus scilicet ingeniose Trajano blandiretur. Ut Poetæ parcendum tamen, pro libertate sua, quidquid placebat effingenti, quis Plinium ferat, qui ea de caussa Trajanum in Panegyrico laudavit, quod divinos non admitteret honores, dum se Bithyniæ Proconsulem tales ut honores ipsi ab iis, qui Christiani fuerant, aut in suspicionem Christianismi venerant, tribuerentur auctorem fuisse, notissima ad eundem Trajanum Epistola XCVII. Libri X. scripserat his verbis: *Propositus est libellus sine auctore multorum nomina continens, qui negarent se esse Christianos, aut fuisse, cum præeunte me, Deos appellarent, ET IMAGINI TUÆ, quam propter hoc jusseram cum Simulacris Numinum adferri, THURE AC VINO SUPPLICARENT, præterea maledicerent Christo: quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera Christiani. Ergo dimittendos putavi. Alii ab Indice nominati,*

nati, esse se Christianos dixerunt, & mox negaverunt: fuisse quidem, sed desiisse . . . . . Omnes ET IMAGINEM TUAM, *Deorumque Simulacra venerati sunt: ii & Christo maledixerunt.* Hæc antilogia tamen inter Plinii factum & Panegyricum nos ad veritatem detegendam manuducit, scilicet ad distinguendum inter diversorum Cæsarum voluntates ac mores, morenque & assentationem Præsidum, Civitatum atque populorum, qui sub Imperatoribus agebant. Fuere inter Cæsares, qui tanquam Numina adorari voluerunt: fuere etiam, qui variis de caussis cultum supra humanum vel non quærendum, vel omittendum, vel a se quoque rejiciendum existimarunt. Verum, quæ fera fuit, sed justissima Numinis vindicta, factum demum est, ut crudelis & superbissima illa Romanorum gens, quæ tot urbes ac populos, tot Principes ac Reges, universumque genus humanum infinitis cladibus, oppressione, vastatione, & ignominia incredibili affecerat, in durissimam ipsa servitutem caderet, turpissimamque in assentationem, qua non Tyrannos modo suos, sed ipsos æquiores Imperantes, & supra humano de cultu minime sollicitos, infamibus adhuc modis, & impotenti abjectione adoraret. Lucem enim ex eo rerum statu sumunt vindiciæ rursus Judæorum, sive modus dicendi Flavii Josephi Libro contra Apionem II. scilicet: *Derogare nobis Apion voluit, quia Imperatorum NON STATUAMUS IMAGINES, tanquam illis hoc ignorantibus, aut defensione Apionis indigentibus: quum potius deberet admirari magnanimitatem modestiamque Romanorum, quoniam subjectos non cogunt patria jura*

tran-

transcendere: sed suscipiunt honores, sicut dare offerentes pium ac legitimum est. Non enim honoribus gratiam habent, qui ex necessitate & violentia conferantur. Græcis itaque & aliis quibusdam, bonum esse creditur: nam & Patrum, uxorum, filiorumque FIGURAS DEPINGENTES *exultant. Quid ergo mirum est, si Principibus ac Dominis hunc honorem præbere videantur? Porro autem Legislator, non quasi prophetans Romanorum potentiam non honorandam, sed tanquam causam neque Deo, neque hominibus utilem despiciens, & quoniam totius animati, multo magis Dei inanimati, probatur hoc inferius,* INTERDIXIT IMAGINES FABRICARE, *aliis autem honoribus colendos non prohibuit Viros bonos, quibus nos & Imperatores, & P. R. dignitatibus ampliamus. Facimus autem pro eis continua sacrificia: & non solum quotidianis diebus, & impensa communi omnium Judæorum talia celebramus: verum cum nullas alias hostias ex communi, neque pro filiis peragamus, solis Imperatoribus hunc honorem præcipuum pariter exhibemus, quem hominum nulli persolvimus.* Veterum Scriptorum inter profanos nullus Josephum prudentia æquavit, arteque declinandæ invidiæ, seque se tempori, rebus, & animis attemperandi, quorum certissimum locus unus hic exemplum est ac testimonium. Agebat ille sub Vespasiano, ac Tito, optimis Principibus, qui superbiam oderunt, propterea Divinitatis affectationem & cultum, quamvis post fata fuerint inter Deos ab Assentatoribus relati. Permissa Judæis fuerat patrias sequendi leges Romano in Imperio libertas, proindeque a solis privatis eorum hostibus, ciendæ invi-

dia

diæ caussa, tunc postulabatur, ut imagines Imperatorum erigerent, ac adorarent. Nil igitur cautius respondere Flavius poterat, quo & suos defenderet, & morem Gentilium non carperet, & Dominantibus vellicaret. Unum animadvertas velim, hac ipsum in Apologia, quæ hac in parte juxta latinam versionem tantummodo habetur, de PICTIS IMAGINIBUS verba facere, quas, cultus caussa, a Judæis eorum hostes postulabant.

Pro receptis tamen Romani Imperii moribus omnes Provinciarum Præsides, populusque Ethnicorum universus, sævientibus præsertim persequutionibus, a Christianis, quibus nondum concessa fuerat profitendæ Religionis suæ facultas, postulabant, ut Cæsarum imagines religiose adorarent, quemadmodum ex sinceris Actis Martyrum, ex Historia Ecclesiastica, atque ex Sanctis Patribus palam est. Qui enim in Apologetico, Capite XXVIII. & sequentibus, tot tantaque dicere Tertullianus in vindicias Nostrorum debuisset, quia neque Romanos Principes, neque eorum imagines colebant, si hasce, eosque, nil etiam ea de re sæpenumero curantes, in idololatricæ saltem superstitionis protestationem & indicium, non fuisset moris adorare? Nonne id manifeste contingebat in Vexillis Romanorum, de quibus ita Vegetius Libro II. de Militia Romana Capite 6. *Totius Legionis Insigne sunt IMAGINES IMPERATORUM, quas tanquam divina & præsentia Signa venerantur?* Qualia fuerint ejusmodi Insignia & Vexilla, explicant Lipsius, Piniscus, Nieuportus, Gisbertus Cuperus, aliique. Varia sane fuere pro temporum diver-

diversitate & more; sed aliquando fuerunt sane talia, ut imagines Cæsarum vel insculptas, vel coloribus expressas præferrent ac exhiberent Flavius Josephus Libro Antiquitatum Judaicarum XVIII. Capite 3. *Pilatus autem Judeæ Prætor*, inquit, *quum exercitum e Samaria eduxisset, & Hierosolyma in hyberna transtulisset, ut Judaicas leges aboleret, Cæsaris effigiem in militaribus Signis DEPICTAM* προτομὰς Καίσαρος αἳ ταῖς σημαίαις προσῆσαν, *curavit intra urbem inferendam*. Inde tam vehemens, violentusque Judæorum tumultus, propterea quod talia Vexilla imagines continerent a militibus Romanis adoratas. Rursus Libro II. de Bello Judaico idem factum referens Josephus, memorat *VELATAS CÆSARIS IMAGINES, SIGNA APPELLATAS*, τὰς Καίσαρος εἰκόνας σημαίας καλοῦνται, quemadmodum Hudsonus vertit, etiam in pulcherrima Havercampi Editione: jure quidem ac merito, quum & Suidas σημαίας & εἰκόνας, συνωνύμως posuerit, & προτομὰς exposuerit allegato eodem facinore Pilati, & Etymologicum Magnum σημαίας ἐκάλουν τὰ σίγνα, καὶ τὰ λεγόμενα βᾶνδα καλοῦσι, quod præsertim de Labaris antiquis dicebatur, quamvis ejus vocis varia etyma apud Ducangium, & alios compareant. Franciscus Junius in Caput Geneseos VIII. Labarum putat dici a voce Persica *Labar*, quæ significat *descendere*: SIGNUM PENSILE, inquit, quod deferebatur Regibus, & Imperatoribus ex Armeniorum & Persarum usu: quia exemtile erat, & de conto suo descendebat, amovebaturque commode. Hadrianus Junius in Nomenclatore, Labarum interpretatur, Vexillum sacrum,

QUALE

QUALE IN TEMPLIS SUSPENDI SOLET. Sed rem oculo exhibent peritiores hodierni rerum antiquarum Interpretes, inter quos elegantissimus Comes de Caylus Tomo III. Collectionis Antiquitatum Ægyptiarum, Etruscarum &c. Parte IV. p. 243. schematibus anaglyphorum adductis, quæ in Vexillis Romanorum ponebantur: Cæsareos nummos inopinatis aliquando in casibus adlubitos fuisse addens, *mais si les medailles ont servi quelquefois à cet usage, on peut avancer qu'elles n'ont occupé ces places qu'attendant les bas-reliefs frappés sur des lames de cuivre tres-minces, & dont la place étoit marquée sur les Enseignes. Les lames étoient extrémement minces, pour ne pas trop augmenter le poids des Enseignes.* Rursus Tomo IV. Parte III. agit de figura & forma de *la Traverse qui portoit le LABARUM, c'est-à-dire la partie à laquelle on attachoit l'étoffe peinte ou brodée, ou les figures légères de bas-relief, dont on chargeoit cette partie des Enseignes militaires. Les medailles étoient attachées à ses deux extrémités.* Neque minus apte & clare rem explicavit Middletonus in Antiquitatibus suis illustratis, dum ad Tabulam XX. Sectione III. scripsit: Præter Aquilas legionarias, Cohortes singulæ ac Manipuli Signa sibi propria habuerunt, quæ ex rerum variarum formis, alia super aliam congestis, atque hastæ pariter impositis constabant. In his IMPERATORUM IMAGINES PICTÆ, & in Clypeis singulis inclusæ, principem fere locum obtinebant, quibus Aquila quoque deaurata, & Clypeo inclusa, desuper plerumque adjuncta erat, ita ut ex triplici, vel quadruplici Clypeorum ordine,

cc una

una cum Aquila superimposita, hæc Signa in Nummis, Sculpturisque antiquis in altum persæpe exstructa reperiantur. Hæ vero Aquilæ & magnitudine & pondere perexiguo fuerint necesse est, propterea quod hi omnes Clypeorum ordines, IMAGINUMQUE, ut vocantur, suggestus, a Signifero facile, idque una, ut videtur, manu portari possent. ut ex Signiferorum ipsorum figuris, in Columnis antiquis incisis colligere licet. Hæc Signa militaria, sacrata semper habita esse, ac divinis plane honoribus coli solita accepimus, Tacitus ea quidem *PROPRIA LEGIONUM NUMINA* appellat Libro Annalium I. & Tertullianus Capite Apologetici XVI. *Religio tota Castrensis Signa veneratur, Signa jurat, Signa omnibus Diis præponit.* Itaque hac religione commotus Parthorum Rex Artabanus, *Aquilas, & Signa Romana, CÆSARUMQUE IMAGINES adoravisse* tradit Suetonius in Caligulæ vita Capite XIV Hucusque Middletonus.

Sunt qui a Labaris Laurata, sive Lauratas Imperatorum imagines deducunt, plerumque pictas, quas hi ad civitates & populos mittebant, quibusque obviam Præsides Provinciarum atque Magistratus ceteris cum Ordinibus & populo, non sine sacri cultus & adorationis nota procedebant, Pictarum instar Tabularum Lauratas illas plurimum fuisse constat, propterea quod in illis præcipua Imperatorum acta, quæque ad victorias & ad ludos pertinebant, oculis offerre opus erat, & quæ nisi coloribus rudiori præsertim vulgo exhiberi non poterant. Quamvis vero Constantinopolitana ab Aula primum missas fuisse Lau-

ratas nonnulli cogitasse videantur, ab imaginibus Imperatorum tamen, qui Romæ degebant, originem accepisse arbitramur; quippequod tale erectio Imaginum ante Constantinum ad manifestationem & indicium supremæ Potestatis pertineret. Suetonius de Tiberio in ejus Vita Capite 13. *Contemptior in dies & invisior: adeo ut IMAGINES EJUS ET STATUAS Nemausenses subverterent*. Idem in vita Othonis: *Certe & IMAGINES STATUASQUE ejus reponi passus est*. Idem de Tito Flavio Vespasiano Capite 3. *Tribunus militum & in Germania & in Britannia meruit, summa industriæ, nec minore modestiæ fama: sicut apparet STATUARUM ET IMAGINUM multitudine*. Justinus quoque Historicus Libro XXXVIII. de Ptolemæo Rege: *Tunc Populus Alexandrinus STATUAS ET IMAGINES ejus detrahit*. Auctor Libri de Mortibus Persequutorum Capite V. ita de Valeriano: *Hic captus a Persis, non modo Imperium, quo fuerat violenter usus, sed etiam libertatem, quam ceteris ademerat, perdidit, vixitque in servitute turpissime. Nam Rex Persarum Sapores, qui eum ceperat, si quando libuerat aut vehiculum ascendere aut equum, inclinare sibi Romanum jubebat, & terga præbere, & imposito pede super dorsum ejus, illud esse verum dicebat, NON QUOD IN TABULIS AUT PARIETIBUS ROMANI PINGEBANT*, in quibus scilicet Imperatorum triumphos exprimere mille figuris mendacibus consueverant Idem Auctor Capite 43. *Eodemque tempore Senis Maximiani* (Herculei) *Statuæ, Constantini jussu revellebantur, & Imagines ejus, QUOCUNQUE PICTUS ESSET,*

detrahebantur. Et quia, Senes ambo (Diocletianus, & Herculeus) *SIMUL PLERUMQUE PICTI ERANT, & Imagines simul detrahebantur amborum.* Nazarius in Oratione Constantino dicta: *Ecce enim, proh dolor! verba vix suppetunt, VENERANDARUM IMAGINUM acerba dejectio, & DIVINI VULTUS litura deformis. Sed quid tandem assequeris cæca dementia? Abolere hic vultus non potest universorum pectoribus infixus est, nec commendatione ceræ aut pigmentorum facies retinet dignitatem. Avidius expetent quæ PICTURA non reddit.* Derivatum id fuerat e vetustissimorum more Romanorum, qui pictas rerum in bello feliciter gestarum imagines deferre in triumphis consueverant, ut præsertim legere est apud Appianum in fine Libri de Bello Mithridatico, ubi in triumpho Pompeii delatas dicit Picturas prælia repræsentantes, & cladem Tygranis atque Mithridatis: unde quisque intelligeret quemadmodum pugnassent, ac demum periissent, expressa Mithridatici exercitus obsidione, nocturnaque cum silentio fuga, filiabus æque victi triumphatique Regis, mortem potius quam servitutem eligentibus, ita depictis ac repræsentatis, ut eorum & vultus, & rubor, & habitus, affectusque, sibi quisque videre videretur. Immensum igitur aucta Romanorum erga suos Cæsares assentatione, eorum gesta in illis præsertim Tabulis repræsentare gestierunt, quas diebus festis ac solemnibus, publicisque in gratulationibus erigebant, ac populo colendas proponebant.

Essent hîc fortasse tamen, qui dubitare possent, an Lauratarum adoratio sacrum pertinuisset ad cultum,

tum, & non potius civilis tantummodo fuisset. Hæc talis dubitationis mihi momenta viderentur. Gregorius Nazianzenus Invectiva in Julianum I. ita disserebat: *Est hoc Cæsareo in more positum, ut publicis imaginibus Imperatores donentur. Nec enim coronæ, & diademata, & purpuræ nitor, & memorabiles Leges, tributaque ac subditorum multitudo ad approbandum illis gratulandumque imperium sufficiunt; sed adorationem quoque accedere necesse est, ut augustiores appareant: parumque habeant ipsi adorari, ni idem quoque in Imaginibus PICTURISQUE præsteiur, quo cumulatior ipsis accedat veneratio.* ἀλλὰ κ̀ τοῖς ἐν πλάσμασι τε κ̀ χρώμασιν προσκυνοῦνται. Cujusmodi vero illarum fuerit Tabularum species atque facies, quove eas pacto ad proferendum Numinum cultum trahere studeret Julianus, ita narrare pergit Sanctus Pater: *His imaginibus alii Imperatores aliud quidpiam præterea APPINGI gaudent. quidam clarissimas urbes dona afferentes, alii victorias corona cingentes caput, nonnulli Magistratus adorantes, ac Præfecturarum tesseris exornatos, alii jugulationes, ejaculationesque ferarum, Barbarorum alii domitorum, pervolutorumque ad pedes, vel trucidatorum varias & multiplices figuras. Quid autem comminiscitur Julianus, & quam firmioribus Christianis fraudem nectit? Nimirum, quemadmodum qui cibis toxicum admiscent, ita HIS USITATIS IMPERATORUM HONORIBUS iniquitatem admiscere instituit, moresque Romanorum cum Idolorum adoratione conjungere, ac proinde quum Deorum effigies, VELUT QUASDAM CONSUETAS PICTURAS imaginibus adjunxisset,* κ̀ διὰ τοῦτο ταῖς

εἰκόσι

εἰκόσι συμπαραγράφων τοὺς δαίμονας, ὡς δή τινὰς ἄλλας τῶν ἐξ ἔθνεσι γραφάς, *tum demum populis & civitatibus, ac præsertim Gentium Præfectis imagines illas proponebat, ut nulla omnino ratione vitare malum posset; sed aut CUM IMPERATORUM HONORE cultus Deorum conjungeretur, aut horum fuga ac repudiatione, Imperatores contumelia afficerentur*. Idem refert Sozomenus Libro Historiæ Ecclesiasticæ V. Capite 17. his verbis: *Publicis in imaginibus curavit Julianus, ut juxta se PINGERETUR JUPITER, velut e cælo apparens, coronamque ac purpuram, Imperii insignia, ipsi præbens: aut MARS, ET MERCURIUS, oculos in ipsum conjicientes, nutuque veluti oculorum testificantes, eum disertum esse, reique militaris peritum. Hæc, & ejusmodi alia, quæ Gentilium ad cultum pertinent, imaginibus inseri suis jussit: eo consilio, ut sub honoris obtentu, qui Imperatori deferri solet, Romani eos etiam, QUI SIMUL PICTI ERANT, imprudentes adorarent. At illi quidem, qui consilium ejus intellexerunt, quique pœnas dedere*, (scilicet Christiani,) *ut moris erat, adorare noluerunt.* ἐν δὲ ταῖς δημοσίαις εἰκόσιν ἐπιμελὲς ἐποιεῖτο παραγράφειν αὐτῷ Δία μὲν, κ. τ. λ. His, inquiebam, ex testimoniis, atque ex hoc facto, patere nonnulli dicent, Lauratas ejusmodi civilem ad adorationem tantummodo spectasse; si enim usitatis imaginibus, quibus honor tantum tribuebatur, oportuit Julianum addere Numinum imagines, quibus in idololatriam raperet Christianos, istique ob imagines Deorum adorare Lauratas noluerunt, quas sine Numinum imaginibus, pro more ceterorum Civium adorassent;

itaque

itaque consueta Lauratarum adoratio civilem ad cultum pertinebat. Accedit, perseverasse diu Lauratarum usum & cultum sub Imperatoribus Christianis, a Sanctis Patribus minime prohibitum, immo sine censura memoratum, præsertim ab Athanasio Oratione quarta, nec non Chrysostomo Homilia Secunda in Epistolam Divi Pauli ad Romanos, Chronico Alexandrino p. 748., Ænea Gazæo in Theophrastum, Severiano Gabalorum Episcopo, Oratione in Sanctam Crucem his verbis: *Absente Rege, imago Regis locum implet, adorantque Proceres, & Neomeniæ sacræ peraguntur, proceduntque obviam Principes & Populi adorant, non in asserem adspicientes, sed ad Regis figuram, non quæ in natura aspiciatur, sed QUÆ PICTA EXHIBEATUR.* ἀλλὰ ἐν τῇ γραφῇ παραδὸμένη. De Romanis loquutum tunc fuisse Scriptorem hunc, quos Orientis Populi Reges appellabant, animadvertit Cujacius Tomo II. Paratitl. in Librum I. Codicis Justiniani. Perseveravit Romæ ille mos ad Gregorium usque Magnum, quo sedente, ut notum est, pervenerunt in urbem Lauratæ Phocæ & Leontiæ Augg. quibus acclamatum est ab omni Clero, & Senatu, locusque eis datus in Oratorio Sancti Cæsarii Martyris juxta Palatium. Immo alibi diutius perseveravisse evincunt verba Theodosii Armorii Episcopi Actione I. Concilii Nicæni II. Quum enim ille cum Basylio Ancyrano, ac Theodosio Myrensi, lapsus fuisset, & Catholicam reversus ad mentem, eam profiteretur in Concilio, dixit inter cetera: *Si enim Laurata, & Iconas, missas ad civitates, vel regiones, obviam adeuns populi CUM*

CEREIS

CEREIS ET INCENSIS, NON CERA PERFUSAM TABULAM, sed Imperatorem honorantes; quanto magis oportet in Ecclesiis Christi Domini nostri Iconam depingi, & intemeratæ Matris ejus, omniumque Sanctorum, & Beatorum Patrum, ac studiosorum Virorum? εἰ γὰρ βασιλέων λαυράτοις, καὶ εἰκόσι, ἀποστελλομέναις ἐν πόλεσι καὶ χώραις ἀπαντῶσι λαοὶ κατὰ κηρῶν, καὶ θυμιάτων, κ. τ. λ. Viderentur hæc fundamenta, quibus Lauratarum cultum, & adorationem, fuisse tantummodo civilem propugnari posset.

Qui ita cogitaret tamen, in errorem, de quo diximus, incideret; nec satis tempora, & adjecta rerum, finemque & sensum, & intentionem adorantium distingueret. Ignorat enim nemo, quantum toto quarto seculo proterve ac petulanter egerint Gentiles, & quam perturbatus per illa fuerit tempora rerum tum civilium, tum sacrarum status, quare plura non modo ab Imperatoribus permissa, quæ in eos Ethnici patrabant, quæque Ethnicismum redolebant, ne scilicet suprema eorum vilesceret auctoritas, verum etiam nonnulla in favorem eorum, qui adhuc Gentiles erant, tolerata, quæ emendari omnino oportebat, inter quæ Laurararum ille cultus, quem respectu sui tempòris, Divus Hieronymus ita reprehendebat: *Statuam, seu Imaginem Cultores Dei adorare non debent. Ergo Judices & Principes seculi, qui IMPERATORUM STATUAS ADORANT ET IMAGINES, hoc se facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes, placuerunt Deo.* Revera Donatistæ, ut horrorem Sacrorum, quæ ab Orthodoxis celebrabantur, ingererent, fingebant, Labarum, sive

Lau-

Lauratam Imaginem Constantis Imperatoris poni solitam in Orthodoxorum altaribus fuisse, dum peragebatur sacrificium: quo nil odiosius veros apud Christianos poterat excogitari: quemadmodum apud Optatum Milevitanum legimus Libro III. de Schismate Donatistarum Capite 12. & in Animadversionibus Balduini, Casauboni, & Dupini, ad illum Optati locum. Prostat Tomo I. Spicilegii Dacheriani Consultatio Zachæi Christiani, & Apollonii Philosophi, ab Auctore illo scripta initio V. seculi, ubi Libro I. Capite 28. Ethnicus Apollonius eo de more Christianos ita arguebat: *Nos eorum Simulacra, vel Imagines adoramus, quos vel vera religione Deos credimus, vel Antiquorum traditionibus docti, Deos non esse nescimus. Vos vero, quibus istud ABOMINATIO EST, cur imagines hominum, VEL CERIS PICTAS, vel metallis desictas, sub Regum reverentia ETIAM PUBLICA ADORATIONE veneramini, &, ut ipsi prædicatis, Deo tantum honorem debitum etiam hominibus datis? Quod si & illicitum, Legique contrarium est, cur hoc facitis Christiani, aut cur hoc vestri non prohibent Sacerdotes, ne id, quod ignorantibus nobis pro sacrilegio adscribitis, scientes sub officii excusatione subeatis?* Huic vero sive interrogationi, sive querelæ, ita regerit Zachæus Christianus: *ISTUD QUIDEM NEC DEBEO PROBARE, NEC POSSUM, quia evidentibus Dei dictis non elementa, non Angelos, nec quoslibet cæli ac terræ, vel aeris Principatus adorare permittimur. Divini enim speciale hoc nomen officii est, & altior omni terrena veneratione reverentia: sed sicut in hujusmodi malum,*

primum adulatio homines impulit, sic nunc ab errore consuetudo vix revocat in quo tamen INCAUTUM OBSEQUIUM, NON ALIQUEM DIVINUM DEPREHENDITIS CULTUM. *Scilicet, propter similitudinem amabilium vultuum gaudia ententa plus faciunt, quam hi forte exigant, quibus defertur, aut perfungi oporteat deferentes; & licet hanc incautoris obsequii consuetudinem districtiores horreant Christiani,* NEC PROHIBERE DESINANT SACERDOTES, *non tamen Deus dicitur ejus Effigies, salutantur, non adolentur thure Imagines, aut colendæ aris superstant, sed memoriæ pro meritis exponuntur, ut exemplo factorum probabilium Posteris prostent, aut præsentes pro abusione castigent. Vides ergo nil vesteis erroribus simile in hoc esse quod arguis, nec juste profanis actibus officia incautiora conferri, quando etiam ipsi, ad quod referri istud potest,* AUT FIERI HOC NOLINT, SI CONSULANTUR, *aut quamlibet vanæ gloriæ consuetudinem non recidant, nihil temere assumentes divinum, mortales se esse, & Dei indignos honore fateantur, cui & quod sunt debent, & fide ut hoc essent fortasse meruerunt.* Quid obsecro ex hac prolixa Disputatione sequitur? Non unum profecto, ex quo res tota mirifice illustratur. Et illud quidem primum: Ethnicos protestari non fuisse veritos, se imagines illas Imperatorum CERIS PICTAS sacro revera cultu adorasse. eoque consilio & fine adeo fuisse olim propositas Lauratas, ut mirarentur Gentiles, cur Christiani, quibus Lauratarum cultus ABOMINATIO esse debebat, eas cum Ethnicis religiose adorasse viderentur. Sequitur deinde Christianos, post Constantinum, etiamsi

in

in exteriori earum cultu cum Gentilibus quodammodo convenerint, longe tamen abfuisse ab idololatria. Quare id vero? Non utique quod Lauratæ illæ depictæ tantummodo fuissent, sed quia non eo animo, fine, mente & consilio eas ipsi honore aliquo prosequebantur, ut sacrum illis cultum præberent, sed solum ut Cæsares in Lauratis repræsentatos, tamquam terrarum Dominos venerarentur, præsertim quum nosfent nostri Christianos ipsos Principes sacrum cultum neutiquam postulasse. Id quum non ignoraret Julianus, imaginibus suis addidit in Lauratis imagines Numinum, quo vel ab invitis etiam adorarentur Christianis, vel in istos Lauratas tunc venerari renuentes, nec ullum præbentes imagini Cæsaris honorem, crimen intenderet majestatis. Ex quo itaque civilis tantum esset Lauratarum cultus apud recte institutos Christianos, perperam posuerit non fuisse sacrum apud Gentiles, inter quos & nostros alia se se produnt in Zachæi Dialogo discrimina, quamvis quum sæpe cultus ille apud imperitiores nostros in superstitionem aliquando vergeret, ex impotentia nempe vulgi, affectibus suis, sicubi adulatio, aut publicæ ostentatio lætitiæ movet, moderari nescientis, propterea non idololatriam, quæ nulla apud nostros erat, neque omnem cultum, sed INCAUTUM OBSEQUIUM se probare nec posse, nec debere Zachæus protestabatur.

Adeo autem verum est, veros Christianos Cæsares ægre obsequium illud tulisse, juxta quod scilicet peragebatur dum reliqua adhuc erat idololatria: & quia populus nimia semper oculorum concupiscentia

 labo-

laborans, statim atque agitur de spectaculis, in dementiam veluti, & furorem gaudii, & licentiam omnem rapitur, non distinguens sæpesæpius sacra a profanis, ut anno demum CCCCXXV. Imperatores Theodosius & Valentinianus illi malo occurrendum constituerint, Lege lata, quæ Libro Codicis Theodosiani XV. Titulo IV. his verbis concepta est: *Si quando nostræ Statuæ, vel Imagines eriguntur, seu diebus, ut adsolet, festis, sive communibus, adsit Judex, SINE ADORATIONIS AMBITIOSO FASTIGIO, ut ornamentum diei, vel loco, & nostræ recordationi, sui probet accessisse præsentiam. Ludis quoque Simulacra proposita, tantum in animis concurrentium mentisque secretis, nostrum numen & laudes vigere demonstret. EXCEDENS CULTURA HOMINUM DIGNITATEM SUPERNO NUMINI RESERVETUR.* Quid clarius, ut intelligamus, ante legem hanc, ab Ethnicis Provinciarum Præsidibus, ac Magistratibus, & populo Gentili, sacrum cultum, quique excederet hominis dignitatem, fuisse pictis illis Imperatorum imaginibus tributum? Late id ostendit in Commentario ad hanc Legem Jacobus Gothofredus, testimoniis ac exemplis demonstrans, Imagines illas nisi cum adorationis, sive *προσκυνήσεως* fastigio erectas, exceptasque non fuisse, ritus etiam gentilitios in Imaginum ejusmodi consecrationibus adhibitos, veluti quod coronis adornatæ, adoratioque ad eas vino, thure, velatoque capite, & circumactione, haud aliter atque ad Numinis occursum, peracta, aliis etiam dum in Provincias populo inferrentur, observatis institutis apud Gentiles sa-

cris,

cris, quæ Christiana Religio semper aversata est. Etiamsi vero sequutis temporibus, sexto scilicet, septimoque seculo nonnulli ritus retenti usurpatique erga Lauratas illas adhuc fuerint cum prioribus ac idololatricis conformes, octavo immo seculo juxta Theodorum Amorii Episcopum, occursum Lauratis fuerit cum cereis & incensis, dum initio seculi quinti, juxta Zachæum, nullus in illa gratulatione incensi usus fuisse videatur, diversitas illa tamen maxima intentionis, finis, sensus, temporisque, quo nullum adhuc esse poterat labis idololatricæ periculum, nulla, ne quidem externum per actum, idololatriæ protestatio, colentium denique & cultorum maxima diversitas, Christianos aliqua similitudine veteris ritus Laurata suscipientes, ab omni criminis etiam suspicione liberabat. Cur enim apud Ethnicos centrum gradusque discriminis inter eorum cultum civilem, atque sacrum tam difficile invenitur? Quia scilicet eorum vulgus infinitam inter Deum, & quascumque cælestes etiam mentes differentiam ac distantiam minus noverat, nec infinitatis modo, sed nec cujuscumque supernaturalitatis, ut dicimus, notionem aut notitiam aliquam habebat: quæ tamen ut prima sunt Christianæ elementa Religionis, ita cujuscumque apud nos cultus, & ritus, & cæremoniarum fundamenta. Nostris nunc etiam Regibus Imagines ac Statuas erigimus, trophæa, titulos, vota, elogia, triumphales arcus, atque monumenta, Deorum aliquando Dearumque poeticis insignibus ac symbolis eorum effigies ornamus, ad quas innumeræ in solemnis faces, infinitaque noctu lumina coruscant, eorum carmini-

bus

bus & cantu laudes celebrantur, sed sine altaribus, sine flamine, sine sacrificiis, sine Templo, sine sacri offerendi cultus voluntate, soloque amoris, gaudii, studiique ac obsequii in eos sensu ac testimonio.

Reliquum modo est, ut objecto occurramus ex Ambrosii verbis Libro VI. Hexaemer. Capite 9. scribentis: *Sola aere fusa Principum capita, & ducti vultus de aere, vel de marmore, ab hominibus adorantur*. Cujus solvendi nodi modum & rationem nobis suppeditant duo Jurisperitorum Principes, Cujacius, atque Gothofredus. Prior Tomo Operum III. Libro Observationum XXI. Capite 4. ostendens, omnem imaginem cujuscumque materiae, atque artis, fuisse adoratam vultus caussa; quia, ut ait Aristoteles in Problematibus, vultus index est animi, atque ex vultu tantummodo cognoscimur. Alter, in Commentario ad Legem Theodosii & Valentiniani nuper allegatam, Simulacra dicta fuisse animadvertens vultus caussa, quia vultus tantum Simulacra essent, facièmque Imperatoris simularent, sive assimilarent. Illis igitur verbis non indicare voluit Ambrosius, solas aereas ac marmoreas Principum imagines ab Ethnicis fuisse adoratas; (quid enim absurdius? inferri scilicet hac in hypothesi deberet, aureas argenteasque non fuisse cultas, quum ex opposito fidem Eutropius faciat Libro VII. Capite 15. Domitianum, Dominum se & Deum, primum appellari jussisse, nullamque sibi NISI AUREAM ET ARGENTEAM STATUAM in Capitolio poni passum esse, & Libro IX. Capite 8. refert Senatum suprahumano honore decoratum Claudium, Clypeum ipsi AUREUM in Curia, STATUAM-

TUAMQUE AUREAM in Capitolio erexisse;) sed docere ac tradere voluit Ambrosius, ob caput præcipue, ac ratione vultus, & quia imagines vultus Imperatorum simulabant, sive assimilabant, non autem ob reliqua corporis membra, effigies cujuscunque generis, materiæ, ac artis fuisse adoratas. Ea autem similitudo cur pictis, textisque, ac insculptis etiam non convenerit Cæsarum imaginibus, nullus video.



CAPUT

CAPUT XI.

Cur præ maxima Statuarum Deorum copia, Imaginum pictarum, quarum Veteres meminerunt numerus, exiguus adeo fuisse videatur.

DUbitare nonnulli possent, an Imagines Deorum solis coloribus expressæ, publici objectum cultus fuerint; tum quod veteres Scriptores infinitis de Simulacris Numinum fidem facientes, vix tamen aliquas celebrant Picturas, tum etiam quod exigua adeo fuerit veterum Pictorum copia: non enim modo Tullius, Petronius, Plinius, Vitruvius, Athenæus, Quintilianus, solos prope recensent Pictores Græcos, verum etiam quam exiguo numero eos recensent! Copiosissimo in Indice, quem suis *de Pictura veterum* Libris adjecit Franciscus Junius, & in quo præclari omnes nominantur Viri, qui se se Graphidi dediderunt, uno pro Pictore triginta plus minus Artifices alii celebrantur, Sculptores, Scalptores, Fabri, Plastæ, ceterique ejus generis, & Comes de Caylus in sua Sylloge Antiquitatum Ægyptiarum, Etruscarum &c. Tomo II. Parte III. p. 108. animadvertit, Pausaniam CLXIX. Sculptores memorantem, recensere tantummodo Pictores XV. quamvis non dissimulet, a Plinio CXXXIII. laudari: qui tamen numerus fuerit exiguus oportet, si pictarum cultus Tabularum apud Ethnicos obtinuit: ex hac enim Pictorum inopia videretur, eos non fuisse ad exprimendos

mendos coloribus Deos, qui publice adorarentur, necessarios. Quemadmodum enim Angli in præsens, esto ceteris in Artibus ac Scientiis profanis, Poesique, Picturæ adeo affini, præstantissimi, Pictoribus tamen ea etiam de caussa dicuntur minime abundare, quod sacrarum cultum Imaginum non admittunt: ita si pictarum cultus Tabularum apud Græcos Romanosque viguisset, fœcundiorem sibi postulasset copiam Pictorum: eo pacto, quo maxima revera fuit Sculptorum multitudo, quia omnibus in Templis erigenda erant Simulacra, quibus cultus præstaretur.

Hæc tamen, si vera forent, quid ex illis colligere, obsecro, fas esset? Haud aliud profecto, quam pauciores fuisse pictas Deorum Tabulas, quam Statuas: quod illarum tamen cultui nil omnino officeret, multoque minus nobis solum inficiantibus, Gentiles ita Simulacra Deûm coluisse, ut non æque eorum adoraverint Picturas. Sive enim multas, sive pauciores habuerint, quas colerent, satis superque est, eos aliquibus Picturis sacrum cultum tribuisse, ut jure semper consequamur, haud posse nos idololatrici moris accusari, nisi ejusdem æque postulentur Græci recentiores, ob sacras quas colunt Imagines coloribus expressas. Neque herc vero negaverimus, multo majori in copia fuisse apud Veteres Simulacra Numinum, quam Tabulas eorum pictas, vel Picturas: sed ejusinodi inopia non eo procedebat quod hæ non colerentur, sed aliis de caussis, quas explicare pervium est.

Et vero qui Naturæ vim & ordinem progressumque meditantur, ea quæ ad vitæ necessitatem pertinent, prestò magis esse oportere, quam quæ ad elegantiam vitæ spectant & commoditatem intelligentes, idcirco contenderunt, citius inductas perfectasque fuisse artes ad vitæ usum magis necessarias, tardius vero quæ vitam efficiunt jucundiorem: propterea Agriculturam prius fuisse quam Architectonicen, Sculpturam, & Picturam: has vero quibuscumque Philosophicis meditationibus fuisse anteriores. Ingenuas vero inter Artes exercitam perfectamque prius fuisse QUÆ HUMANOS SENSUS MAGIS AC VEHEMENTIUS AFFICERE VALERET, quare prius Architectonice floruerit, quam Sculptura, hæcque prius quam vera pingendi ars, quum absolutissima jam exstiterint, eorum opinione, Architecturæ Sculpturæque Opera antequam de idoneis inducendis coloribus cogitaretur: eo magis etiam theoriam hanc urgentes, quo barbaras apud Gentes, barbarisque apud nos temporibus, quibus probatas pingere imagines datum vix erat, pene probata non defuerint Cælaturæ opera, & ad Statuariam artem pertinentia; Sculpturamque & Picturam Architectonice in renovatione Artium antecesserit. Ex opposito sunt, ut Capite hujus Commentarioli V. animadvertimus, ipsarum qui naturam Artium respicientes, adserunt, Picturam ac Statuariam similes adeo esse inter se, arctoque necessitudinis vinculo ita invicem conjunctas, ut uno eodemque partu editæ censendæ sint: quamvis & hi æque fateantur, diversam ipsarum esse oportuisse, & porro fuisse conditionem,

for-

fortunam, ſtatum, ac fatum, pro diverſa hominum cogitandi ratione, diverſoque regionum, Religionum, ac Legumlatorum genio ac ingenio, diverſis denique pro rerum vicibus: unde major minorve Artificum Operumque numerus & copia.

Utraque jam vero hypotheſis viam nobis præbet oſtendendi, quare plura olim fuerint Deorum Simulacra, quam Picturæ, quin ingentiſſimam illorum copiam cultui, iſtarum vero, comparate ad Statuas, minorem multitudinem negatæ ipſis adorationi tribuamus. Sane, quemadmodum Sculptura, propterea quod humanos ſenſus magis vehementiuſque afficit, exercita perfectaque prius fuiſſe creditur quam Pictura, nonne potiori ratione debuit etiam magis eſſe propagata? Fuit illa certe, eritque ſemper, infirma imbecillis populi, vulguſque omnium Nationum ac Gentium conditio, ut ſenſibilioribus agatur imaginibus, ideoque Statuis ac Simulacris magis, quam colorum lenitate, ac figuris ſubtili arte ac præſtantia efformatis. Inde enim apud Barbaros Statuæ Numinum repertæ, ubi nullæ aut rariſſimæ Picturæ: Romanique, qui victas inter Gentes Arcus triumphales cum Statuis frequens erigebant, nullas illic videntur poſuiſſe imagines coloribus expreſſas: quare & Auſonius in ſua *Moſella*, & Freherus in Adnotationibus ad eandem, & Schedius Syngrammate III. & IV. de Diis Germanorum, & Canegieterus in *Hercule Maguſano*, & alii ſexcenti, Simulacra & Anaglypha illarum nobis laudant Gentium poſtquam Romano ſub Imperio fuere: Picturas nec memorant, nec laudant, ingenium ſcilicet,

geniumque Barbarorum ejusmodi excedentes; innumeris quippe pictis Deorum Tabulis vel informem eorum Statuam vulgus prætulerit oportet, quin sequatur tamen, eas, ubi, & si quando, ceu Deorum Imagines sacræ, exstitere, non fuisse a populo æque adoratas. Exempla pervia sunt, hodierna, & quotidiana. Templum est, in quo cultui prostat publico ingens ac præclarissima Deiparæ Tabula, a Johanne Francisco Barberio, quem *Guercinum* appellamus, dum ejus pingendi ratio maxime valebat, efformata. Retro Ædicula erat cum Statua Deiparæ coloribus illita, & amictu solito ornata. Sodales, qui Virginis ad cultum congregantur, Tabula *Guercini*, ceu Ædiculæ velo frequens ascendente ac descendente, quo sacra Virginis Statua diebus præsertim festis videretur, plurimos per annos strenue usi sunt. Utramque Deiparæ Imaginem, pictam scilicet, sculptamque, eodem pietatis sensu, eademque religione venerabantur: attamen sacræ Statuæ videndæ tanta delectatione tenebantur, ut persuasionibus vix ac precibus, ne loco amplius moveretur tam præclara Tabula hoc tandem anno MDCCLXVII. potuerit ab ipsis impetrari. Non igitur ex majori vel sola in sacras Statuas religione, sed ex sola majori propensione sensibiliora in objecta, in sculptas potius, quam pictas in Imagines fertur populus; sed haud minus tamen istas, quam illas demum veneratur. Necessaria autem ac perpetua hæc populi sensibiliores in Imagines propensio nonne debuit efficere, ut quamvis tam pictæ, quam sculptæ colerentur, plures adhuc tamen essent Deorum Statuæ, quam ipsorum Effigies coloribus expressæ?

Qui

Qui autem maxima gaudebant Imperiorum fortuna, felicitate, ac gloria, Posteritatem spectantes, & ad memoriam aspirantes rerum suarum sempiternam, eam majori habuerunt in usu proclivius est Artem, qua opera magis perennatura effingerentur: proinde recte Comes de Caylus in Sylloge Antiquitatum Ægyptiacarum, Etruscarum &c. Tomo I. Parte I. p. 6. scripsit: *Je crois que les Egyptiens ne regardoient la Peinture qu'avec une sorte de mepris; je m'en explique, c'est-à-dire, qu'elle leur paroissoit légère & de peu de resistance, & que par consequent elle ne s'accordoit point avec les pretentions qu'ils avoient sur l'estime de la Posterité*. Orientalium autem divitiæ, opes, & opulentia Populorum efficere debebant, ut quum aurea ipsi & argentea conflare facile sibi possent Numinum suorum Simulacra, minus propterea de pingendarum Imaginum Arte sollicita essent. Quum autem progressu temporis opes ad se Romani devictarum traxissent Gentium, ac Orientalium divitias populorum cum studio immortalitatis & gloriæ, quo olim Ægyptii tenebantur, conjunxissent, suorum & ipsi Imagines Deorum auro argentoque, ære ac marmoribus potius, quam facile perituris in Tabulis, ac tapetibus, & velis expressas voluerunt, cujus testis rei Plinius est, suum de Arte Graphica Sermonem ita auspicatus: *Primum dicemus quæ restant de Pictura ARTE QUONDAM NOBILI, tunc cum expeteretur a Regibus, populisque, & illos nobilitante, quos esset dignata Posteris tradere: NUNC VERO IN TOTUM MARMORIBUS PULSA, JAM QUIDEM ET AURO*. Quæ ita commentari videtur

tur laudatus Comes de Caylus Tomo XXV. Academiæ amœniorum Literarum ac ingenuarum Artium Parisiensis: *Je croirois que ces deux Arts trouvés en même tems, puisqu'ils avoient un principe commune, ont été indifferemment accueillis; c'est à-dire que la Sculpture a commencé pour avoir une préférence que la solidité a dû nécessairement inspirer à un Peuple occupé de sa gloire, & que la Peinture, regardée comme une chose plus facile à détruire, avoit de plus ses couleurs à trouver, & trouvez à perfectionner ...... Le goût de la Sculpture étoit plus en honneur, sur-tout à Rome, où tous les enduits & les imitations de marbre, que Pline reproche a sa Nation, prouvent que la Peinture n'étoit pas fort considerée.* Hic igitur amor perennitatis & gloriæ quum animos ad amorem & usum Sculpturæ potius, quam Pictoriæ verterit, plures oportuit fuisse apud Ægyptios præsertim ac Romanos Statuas, quam Picturas, quin Simulacrorum major illa copia Religioni, soloque cultui asseratur.

Græci, ut opibus inferiores magnis Imperiis fuere, ita ceteris Gentibus ingenio & Artibus ingenuis præstiterunt, sed ingentissima marmorum copia, quibus omnes Græciæ regiones abundabant, quæque Artificibus obvia & pervia omnino erant, in caussa fuere, cur earum Opifices regionum Sculpturæ magis, quam Pictoriæ inhærerent. Ut enim Cardinalis Furiettus Capite II. de Musivis scribebat: neque e longinquis & valde dissitis regionibus marmora asportanda fuerant, cum in Insulis & in Mediterraneis Græcorum Provinciis frequentissimæ essent fodinæ, ubi variarum specierum marmora gignerentur.

Hinc

Hinc Attica erat ferax albi coloris marmorum: Hymetti, cujus Horatius Libro II. Ode 18. meminit; & Penthelici, ut authoritate Pausaniæ in Atticis, & ex Strabone observavit Cl. V. Blasius Caryophilus, *de Marmoribus* pag 33. 34. In Laconia effodiebatur Tænarium, & Lacedæmonium, quorum primum inter nigri coloris, alterum vero inter viridis coloris marmora recensebantur, hoc tamen albis nigrisque maculis interstinctum erat, de quo Juvenalis Satyra II. cecinit:

Et Lacedæmonium pytismate lubricat orbem.

Ita Atracium in Thessalia marmor reperiebatur varios colores exhibens .... neque in Insulis deerant marmora, quæ fodiebantur. Parium nempe candidissimum, atque TANTA SIMULACRORUM COPIA celeberrimum: Thasium, quod una ex Cycladibus producit, albi pariter coloris, ex quo binas Hadriano Imperatori STATUAS ab Atheniensibus positas refert in Atticis Pausanias: Proconnesium, quod gignit Insula inter Parum, & Cizycum posita, estque candidi coloris, sed nigris intermixtum venis: Chium ab Insulæ nomine appellatum, & Carysthium a Carysthi Insula. His autem accedebant & Phrygia, & Ægyptia marmora, QUIBUS GRÆCI ARTIFICES UTERENTUR, ut habemus ex Pausania in Atticis: QUORUM OMNIUM COPIA IN CAUSA FUIT, cur Græci Artifices variegatis marmorum lapillis musiva opera efformarent, in desuetudinem sensim abeunte pictorum calculorum materia,

teria, qui ex vitro fierent, & quibus pavimenta ad Picturæ similitudinem efformarentur. Hucusque laudatus Cardinalis, cujus animadversio tessellatis ex picturis commodum transferri ad eas potest, quæ penicillo perficiebantur: proindeque ingentissima ac per via illa marmorum copia Græcis in Graphide versatis occasio & caussa propemodum fuerit, cur sculpendis potius, quam pingendis Imaginibus operam dederint; non autem, quia sola Deûm Simulacra colerentur.

Ad hæc, qui harum in cognitione Artium versati sunt, satis noverunt, quam facilius semper fuerit mediocriter sculpere, quam ad aliquam etiam Artis mediocritatem pingendo pervenire: quæ maxima recte pingendi difficultas cum facilitate illa & copia marmorum, populique in imagines sensibiliores propensione, & Orientalium opulentia populorum, æternæque desiderio gloriæ & immortalitatis studio, quo agebantur maxima Imperia, ea, inquam recte pingendi difficultas cum his, alisque rerum cum adjunctis conjuncta, efficere plane debuit, ut uno pro Pictore triginta plus minus alii Opifices, Sculptores, Scalptores saltem mediocres invenirentur; quare veterum Pictorum numerus minime fuerit cum multitudine Sculptorum conferendus: immo & paucior, quam quod revera fuerit, illorum copia Pictorum nobis in præsens videatur, si animadvertimus tum brevissimam fuisse felicem apud Græcos Artis Picturæ periodum, tum præstantissimos solum Pictores laudatos a Veteribus fuisse ac Posteritati commendatos. *Primi clari Pictores fuisse dicuntur Polygnotus,*

tus, atque Aglaophon, inquit Quintilianus Libro XII. Capite 10. *post Zeuxis atque Parrhasius non multum ætate distantes circa Peloponnesia ambo tempora. Floruit autem circa Philippum, & usque ad Successores Alexandri, PICTURA PRÆCIPUE, sed diversis virtutibus. Nam cura Protogenes, ratione Pamphilus, concipiendis visionibus, quas φαντασίας vocant, Theon Samius, ingenio & gratia, quam in se maxime jactat, Apelles est præstantissimus. Euphranorem admirandum facit quod ceteris optimis studiis inter præcipuos, & pingendi fingendique mirus Artifex fuit*. Solum igitur circa Philippi & Alexandri tempora, paulloque post, præclarissimi floruere in Græcia Pictores: quum sævioribus ingruentibus bellis, Successorum Alexandri ambitione ac impotentia excitatis, ingenuæ omnes Artes Scientiæque ceteræ adeo labefactatæ ac in deterius lapsæ fuêre, ut pristinam ad gloriam numquam potuerint in Græcia reverti.

Apud Romanos Arti Pictoriæ honorem mature contigisse scribit Plinius Libro XXXV. Capite 3. proptereaquod ex ea cognomina PICTORUM Fabii traxerint; ast vix accensum tale studium prope evanuisse, ea ostendunt quæ Tullius inquit Libro Quæstionum Tusculanarum primo: *An censemus, si Fabio nobilissimo homini laudi datum esset quod pingeret, non multos etiam apud nos futuros Polygnotos & Parrhasios fuisse? Honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria: jacentque ea semper quæ apud quosque improbantur*. Nempe ioti aliquando Romani in artibus proferendi per bella perpetua Imperii, ceterarum perfectionem Artium non quærebant, jam-

FF que

que Græciam superaverant, quum rudes adhuc & iniqui forent Picturæ æstimatores, ut ex notissimo L. Mummii facto palam est, qui post Achaicam victoriam, Romam missurus bello captas Tabulas, nautis vectoribus indixit, ut eas si Picturas amitti sinerent, similes reficere coactiessent, quod Libro XXXV. Capite 8. Plinius narrat. Progressu temporis, studio & amore incredibili pictarum Tabularum accensi sunt, quin tamen egregios suæ Gentis habuerint Pictores: quare Romam Græcos adsciverint Artifices, sed a Veterum præstantia quam dissitos! Nam quum talis honor aliquando Picturæ fuerit apud Græcos, soli ut ingenui eam exercere potuissent, mox & honesti, perpetuo interdicto ne servitia docerentur: adeo ut nec in ea, nec in thoreutice, ullius, qui servisset, opera celebrarentur, quemadmodum scripsit Plinius Libro XXX. Capite 10. ex opposito serius adsciti Romam Opifices, servi quum forent, & a virtute veterum Artificum remoti, nil satis probatum edidere: & quamvis sub Augusto, Artium Mœcenate aliquid illis luminis effulserit; hoc ipsum, Successorum impotentia, statim ac facile exstinctum est; unde Plinius Caput V. allegati Libri his absolvebat: *Hactenus dictum sit de dignitate ARTIS MORIENTIS*, nec diversa ratione in Satyrico Petronius: *Nuper ventosa isthæc & enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit, animosque juvenum ad magna surgentes veluti pestilenti quodam sidere adflavit, simulque corrupta eloquentiæ regula stetit & obmutuit .... PICTURA quoque non alium exitum fecit, posteaquam Ægyptiorum audacia tam magnæ Artis compen-*

dia-

diarium invenit. Et infra: *Consulere Prudentiores coepi aetatem Tabularum, & quaedam argumenta mihi obscura, simulque causam DESIDIÆ PRÆSENTIS excutere CUR PULCHERRIMÆ ARTES PERIISSENT, inter quas PICTURA ne minimum quidem sui vestigium reliquisset. Priscis enim temporibus, cum nuda adhuc virtus placeret, vigebant Artes ingenuae, summumque certamen inter homines erat, ne quid profuturum seculis diu laceret. At nos vino scortisque demersi, partas quidem Artes AUDEMUS COGNOSCERE, sed accusatores Antiquitatis, vitia tantum docemus, & scimus. Nolito ergo mirari SI PICTURA DEFECIT, cum omnibus Diis hominibusque formosior videatur MASSA AURI, quam quidquid Apelles Phidiasque Graeculi delirantes fecerunt*. Videlicet, quum Romani tandem augustius se Deos aureis in Statuis venerari crederent, quam Majores sui, Graecique, in Imaginibus rudiori in materia sculptis, vel coloribus tantummodo expressis: quae profecto & Plinii querelam de Graphide jam olim per colores vigente, demum IN AURO PULSA; & cultum Apellaeis laboribus Deos repraesentantibus aliquando magis praeditum, & serenos Picturae dies brevissimo coruscavisse tempore confirmant.

Jam vero quum soli Pictores eam ad aetatem pertinentes a Plinio memorati fuerint, non est, cur aut nimiam Pictorum, pictarumque Numinum Imaginum paucitatem nobis persuadeamus, aut eam religioni Gentilium in solas Deorum Statuas consequamur afferendam. Apertissime *SOLA LUMINA ARTIS* abs se memoratum iri testabatur Plinius, laudati

Libri Capite 9. deinde illos tantum, qui præcipua Artis Lumina pone sequuti essent, ita nempe XL Caput auspicatus: *Hactenus indicatis in genere utroque PROCERIBUS, non silebuntur ET PRIMIS PROXIMI*. Distinxit ille apud Græcos genera Picturæ omnino tria, *JONIUM*, *SICYONIUM*, *ATTICUM*, ea ratione, qua distinguere apud nos Italos solemus inter pingendi genus, sive scholam, ut ajunt, *Romanam*, *Venetam*, *& Lombardicam*. Heroibusque cujuscumque generis, sive Scholæ, vel Tabulis eorum celebratis, innumeros reliquos, qui singularem perfectionis gradum non attingerunt, prætermisit: ea ratione, eoque pacto, quo in tot elaboratissimis hodiernis, qui ad Graphidem proferendam conscribuntur Libris, viginti vix, qui LUMINA ARTIS post hanc renatam dici meruerunt, Pictoribus laudatis, reliqui innumeri ac prope infiniti obscura silentii involvuntur nocte: quum tamen prope nullus angulus Ædium nostrarum sit, in quo pictæ Tabulæ non reperiantur: nullum apud Orthodoxos Sacellum, in quo picta, quæ colatur, Tabula non prostet. Si recensitis igitur a Plinio SOLIS ARTIS LUMINIBUS, ceterisque, qui Luminibus Artis proximi fuere, adhuc tamen CXXXIII. Pictores celebravit, quos quantosque fuisse reliquos existimabimus, quos pro sua scribendi methodo omisit?

Immensam porro Pictores, qui celebrati sunt, gloriam virtuti partim, partim etiam fortunæ debuerunt. Virtuti quidem, quum pares nec Antecessores habuerint, nec omnino Successores. Tradunt siquidem Tullius Libro de Inventione II., & Plinius

Libro

Libro XXXV. Capite 9. Zeuxidem a Crotoniatis conductum, ut Helenæ imaginem pingeret, quæ excellentis muliebris formæ pulchritudinem contineret, Virgines plurimas inspexisse, elegisseque, ut quod laudatissimum in quaque esset, Pictura redderet. Rara adeo ævo erant illo excellentia Tabularum exemplaria. Sed nec frequentiora fuisse perfectarum videntur imitamenta. Plinius quippe Libro XXXV. Capite 10. ita de Apelle. *Inchoaverat aliam Venerem Cois, superaturus etiam suam illam priorem. Invidit mors peracta parte: nec qui succederet operi ad præscripta lineamenta inventus est*, & apud Tullium Libro de Officiis III. Posidonius: *Nemo Pictor inventus, qui Coæ Veneris illam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, absolveret; oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi vim auferebat*. Hinc Alexandri studium, ne ab alio quam ab Apelle pingeretur: hinc Aetion Pictor tanto prope quo Herodotus plausu in Olympiorum celebritate receptus, ut Lucianus *in Herodoto* testatur: hinc immensa illa talium Tabularum pretia, de quibus Scriptores fidem faciunt; hinc illa summorum ejusmodi Artificum undique celebritas, famaque apud Populum adeo aucta, ut eorum modo nominibus aures resonarent; nec nisi eorum operum desiderio visendorum vulgus teneretur: quare Epicteti illa apud Arrianum Libro I. Capite 16. *Quæ vero dementia est, ad Olympia proficisci vos, ut Phidiæ opus spectetis, ac si quis ante obitum non viderit, pro infortunato seipsum reputare!* ἵν᾽ ἰδῆτε τὸ ἔργον τοῦ Φειδίου, καὶ ἀτύχημα ἕκαστος ὑμῶν οἴεται τὸ ἀνιστόρητον τούτων ἀποθανεῖν, κ. τ. λ. quo cum

faciunt

faciunt ea Socratis apud Ælianum Libro Variæ Historiæ XIV. Capite 17. Archelaum quadraginta minas in domum suam impendisse, conducto mercede Zeuxide, qui Picturis eam exornaret. *Eamque ob caussam multos e longinquis terræ partibus magno studio contemplandæ domus caussa venisse*, διὰ πρότερον μὲν ἀφικνεῖσθαι σὺν σπουδῇ τοὺς βουλομένους θεάσασθαι τὴν οἰκίαν. Et quamvis Tabulam Helenæ, de qua diximus, non temere, aut quemlibet, ac ut Græci ajunt, ὡς ἔτυχε spectatum admitteret hic Pictor, sed eos modo, qui ῥητὸν ἀργύριον propositam pecuniæ quantitatem erogassent, ut Cælius Rhodiginus Libro Antiquarum Lectionum X. Capite 67. ex Veteribus monebat: nullus adhuc tamen erat confluendi ad spectandam Tabulam finis aut modus: cujus pulchritudine vulgus oculi, tamquam solis lumine perstrincti, Picturas tantam ad perfectionem non pertingentes contemnebat. Semper enim & quacumque in facultate ac disciplina stellarum lucem Soles subduxere: populusque famam tantum sequitur strepentem: proindeque non mirum, si præstantissimos paucos illius ætatis Artifices ad astra tulerint Græcorum plurimi, ceteris quibuscumque neglectis omnino ac omissis; quum & nos Statuis Areolis ac Tasso in Templo Calliopæ erectis, omnes illius Ædis sedes ita credere viri fumus occupatas, nulla reliqua ut fuerit Imagini recipiendæ alicujus saltem inter egregios Epicos tot Vates, minime quidem duobus illis pares, sed iniquo tamen nisi fato non jacentes.

Quamvis enim qui ad Artis apicem haud pervenerunt, non debeant cum Optimis confundi, cur sua tamen

tamen laude fraudarentur? Haud ita sane praestitere olim Prudentiores, quemadmodum e Tullio discimus in Oratore: ubi habet. *Neque solum ab optimis studiis excellentes Viri deterriti non sunt, sed ne Opifices quidem se artibus suis removerunt, qui aut JALYSI, quem Rhodi vidimus, non potuerunt, aut COAE VENERIS pulchritudinem imitari. Nec Simulacro Jovis Olympii, aut Doryphori Statua deterriti reliqui minus experti sunt, quid efficere, aut quo progredi possent: QUORUM TANTA MULTITUDO FUIT, tanta in suo cujusque genere laus, ut, cum summa miraremur, inferiora tamen probaremus.* Vel si multitudinem ad Statuarios tantum referas, Pictores tamen, prae excellentissimis, tunc etiam fuisse protestatur Tullius, meritos ut eorum nomina ad Posteritatem pervenirent, nisi plures invidissent caussae, quarum nonnullas exhibet Vitruvius Praefatione in suum de Architectura Librum his verbis: *Maxime autem animadvertere possumus, in antiquis Statuariis, AC PICTORIBUS, quod ex his, qui dignitatis notas, & commendationis gratiam habuerunt, aeterna memoria ad Posteritatem sunt permanentes, uti Myron, Polycletes, Phidias, Lysippus, ceterique nobilitatem ex Arte consecuti. Namque AUT CIVITATIBUS MAGNIS, AUT REGIBUS, AUT CIVIBUS NOBILIBUS, opera fecerunt; ita id sunt adepti. Atqui non minori studio & ingenio solertiaque fuerunt, ignobilibus ex humili fortuna Civibus EGREGIA FECERUNT OPERA, NULLAM MEMORIAM SUNT ASSECUTI, quod hi non ab industria, neque artis solertia, sed a felicitate fuerunt desertii: ut Hellas Atheniensis,*

nienfis, Chion Corinthius, Miagrus Phocenfis, Pharax Ephefius, Bedas Byzantius, etiamque alii plures. Non minus item PICTORES, *uti Ariftomenes Thafius, Polycles Adramytenus, ceterique, quos* NEQUE INDUSTRIA, NEQUE ARTIS STUDIUM, NEQUE SOLERTIA DEFECIT, *fed aut rei familiaris exiguitas, aut imbecillitas fortunæ, aut in ambitione certationis, contrariorum fuperatio obftitit eorum dignitati.* Impotenter adeo ingenius quoque fortuna femper dominata eft.

Perperam itaque copiam numerumque veterum Tabularum, aut earum, quæ in parietibus expreffæ coloribus erant, Imaginum Deorum cenfum, ex cenfu & numero Pictorum, qui & olim celebrati funt, & quorum nomina Pofteritati tradita fuere, æftimaremus: quum & plures præclari fuerint, infauftis rerum vicibus omiffi, & innumeri fuerint ob perfectionis in Arte inopiam neglecti. Numquid enim & ante, & poft Philippi & Alexandri tempora, ac ætate etiam illa, nifi a probatiffimis Artificibus depictum non fuiffe exiftimabimus? Ubinam Ægypti Picturas Pictorefque relinquemus? Quales antiquiffimorum fuerint Picturæ indicat fatis Ælianus Libro X. Variæ Hiftoriæ Capite 10. tales fcilicet, quæ nec a Plinio, nec a Paufania, nec ab ullo celebrari mererentur. Mirum tamen cur Naturalis Hiftoricus vetuftiffimas tantum Ardeæ ac Lanuvii facras Picturas laudet, Etrufcis Artificibus prope prætermiffis, quorum tanta laudis erat fcribendique materia, ut animadvertit Comes de Caylus Tomo I. Antiquitatum Ægyptiarum, Etrufcarum &c. Parte II. p. 8. Quod fi

ad

ad Pictores perfectissimis synchronos descendimus, scripsit in Vita Periclis Plutarchus, quum gloriantem Pictorem Agatarchen quod cito & facile pingeret imagines audivisset Zeuxis, dixisse: *Ego vero longo tempore*, *ἐγὼ δ' ἐν πολλῷ χρόνῳ*, mediocri ut ostenderet Pictori accelerationem in opere faciundo non addere pondus operi durabile, neque decorem absolutum: tempus vero cum labore & industria conjunctum diuturnam adferre operi durationem. *Apelles Pictor*, inquit Clemens Alexandrinus Libro II. Pædagogi Capite 2. *quum vidisset quemdam ex suis Discipulis pinxisse Helenam multo auro ornatam*: *O Adolescens*, *inquit*, *quum non posses pingere pulchram*, *divitem fecisti*. *μὴ δυνάμενος γράψαι καλὴν*, *πλουσίαν πεποίηκας*. Tullius autem in Oratore: *Apelles Pictores eos peccare dicebat*, *qui non sentirent quid esset satis.* Erant igitur tunc alii præ excellentissimis in Græcia Pictores, ut ex delectu ac narratione Plinii, etiam vidimus: immo non deerant felicissimo artium tempore Opifices, qui ex antiquissimis rudioribus Picturis suarum deducerent Exemplaria Statuarum, siquidem Pausanias Libro VIII. de Simulacro scribens ab Artifice felicioris ætatis egregie fabrefacto, *VEL PRISCAM ALIQUAM TABULAM*, inquit, *vel Statuam ex ligno nactus veterem*, *ἀντιγράφων γραφὴν*, *ἢ μίμημα ἀρχαῖον ξοάνου*, *ad ejus similitudinem æneum hoc ille Phigalensibus Signum fecit.* Ut enim ligneæ Statuæ antiquiores æneis fuere, ita & pictæ Tabulæ, quum ex utrisque rationem pretiosiora efformandi Simulacra egregii Statuarii desumerent.

 Num

Num autem exacta felicissima ingenuarum Artium ætate hæ penitus perierint, defuerintque prorsus Pictores ac Opifices, vix dignum est quod inquiratur. Ex Menacle Barcæo, & Androne tradit Athenæus Libro Deipnosophistarum IV. Capite 25. ab Alexandrinis eruditos fuisse Græcos omnes, atque Barbaros septimo sub Rege Ægypti Ptolemæo, qui jugulatis plurimis Alexandriæ Civibus, ac innumeris in exilium actis, Urbes Insulasque Grammaticis replevit, Philosophis, Geometris, Musicis, PICTORIBUS, Medicis, aliisque, qui ob inopiam ea docentes quæ scirent, omni humanitate præclaros Viros expoliverunt. *ἐποίησε πλήρεις τὰς τε νήσους, καὶ πόλεις ἀνδρῶν γραμματικῶν, φιλοσόφων, γεωμετρῶν, μουσικῶν, ζωγράφων, κ. τ. λ.* Ejusmodi ex Præceptoribus Discipulos tales produisse, qui gloriam Artium vel inducerent in Barbaros, vel in Græcia restituerent, nulla nos docent temporum illorum monumenta. Non videntur itaque fuisse clari nominis Pictores: pinxerunt illi tamen, pingereque alios docuerunt, etiamsi nullo a Scriptore memoratos. Neminem ætate Tullii, suæ præsertim gentis, egregium Pictorem novimus; quum ille tamen Libro de Oratore III. scripserit: *Quanto colorum pulchritudine & varietate floridiora sunt IN PICTURIS NOVIS pleraque, quam in veteribus? quæ tamen etiamsi primo aspectu nos ceperunt, diutius non delectant; cum iidem nos IN ANTIQUIS TABULIS illo ipso horrido obsoletoque teneamur.* Præstantiora dum ostendit veterum opera Pictorum, suo adhuc tempore depictum fuisse testabatur: quin & in Oratore inquiebat: *Quid*

si

si antiquissima illa Pictura paucorum colorum, magis, quam hæc jam perfecta delectet? illa nobis sit, credo, repetenda, hæc scilicet repudianda. Jamque ibidem scripserat: *In Picturis alios horrida, inculta, abdita, & opaca. contra alios nitida, læta, collustrata delectant.* Neutros autem ea delectassent, nisi fuissent ipsi de pulchritudine Artis delectati.

Porro mutatio illa, quæ in Romanis contigit, dum exiguo ex honore olim Graphidi tributo, ad excellentium Picturas Artificum maximo in pretio habendas transierunt, Picturarum apud Græcos copiam fuisse maximam evincit, ideo quippe Artis pulchritudine acti sunt denique Romani, quia immensæ Tabularum pictarum catervæ, sive victoria, sive pretio, sive fortuna, Græcis ex regionibus in Reginam Urbium tanto numero delatæ sunt, ut vel Reipublicæ tempore non sacra modo & publica, verum etiam privata loca, ipsasque villas eisdem exornaverint. Plutarchus in Vita L. Paulli Æmilii, qui triduum triumphavit, *primo die*, inquit, *Signa capta*, *ET TABULÆ PICTÆ*, *& Colossi*, *ducentis quinquaginta, vehiculis translata sunt*, *vixque hic dies spectaculo satis fuit* ἡ μὲν πρώτη μόλις ἐξαρκέσασα τοῖς αἰχμαλώτοις ἀνδριᾶσι, καὶ γραφαῖς, κ. τ. λ. Qualis quantaque uno esse in triumpho oportuit ejusmodi Picturarum copia! quanta mille aliis in triumphis! quanta in triumphis unius victoris Asiæ Pompeii! Ne heic omittam animadvertere, majorem earum partem, Evocationis jure, fuisse e Templis illarum Gentium ablatam, ideoque Tabulas illas fuisse potius sacras, quam profanas: quæ sacræ tamen Deorum Tabulas

 mi-

militari sæpe impetu ac licentia cujus destruebantur, quam quod victricem in Urbem deferri possent: cujus exemplum rei adfert Strabo Libro VIII. scribens. *Polybius quæ in excidio Corinthi evenerunt narrando deplorans, militarem contemptum Artificiorum, donariorumque inter alia commemorat. Ait enim se præsentem vidisse TABULAS IN SOLUM PROJECTAS, ac milites super iis, nominatque eas, BACCHUM AB ARISTIDA PICTUM* φησὶ γὰρ ἰδεῖν παρὼν ἐῤῥιμμένους πίνακας ἐπ' ἐδάφους Addit, se Tabulam illam quidem non vidisse, sed alteram ejusdem Bacchi, Romæ in Cereris dedicatam, quæ suo tempore cum Templo conflagraverat incendio. Quibus vero Tabulis aliquando militum licentia parcebat, non parcebat avaritia Imperatorum, sive Ducum, ut ex Plinio intelligimus Libro XXXV. Capite 8. ubi narrat, L. Mummio, cui cognomen Achaici victoria dedit, in vendenda præda Regem Attalum VI sestertium pro emenda Liberi Patris capta Tabula obtulisse. certissimum earum venditionis a Ducibus fieri solitæ argumentum. Neminem demum latet, Sylla navem præclarissimis onustam Picturis jure belli captis Romam dum mitteret, circa Maleam submersa navi periisse immensum Græcarum Tabularum thesaurum. Tot adhuc obstantibus jacturis, periculis, ac vicibus, nec non Græcorum in suis quacumque arte ac prece Tabulis retinendis studio, harum cum infinito tamen numero referta Roma fuerit, quis in Græcia, Asiaque paucas fuisse Numinum Picturas sibi persuaserit!

Post

Post Augustum Artes omnes elegantiores jacere cœpisse, & Constantino demum imperante prorsus labefactatas, haud est cur inficiemur. Illud inficiamur, post Augustum, & ante Constantinum immo & post illius æratem, haud fuisse Idolorum Artifices, ac Tabularum, quæ repræsentarent Numina, Pictores: quum id abunde evincant immensa illa Artium monumenta Trajani & M. Aurelii Antonini temporibus erecta; & quod de Hadriano scripsit Paullus Diaconus, Historiæ Miscell. Libro X. eum scilicet, *PICTOREM FICTOREMQUE fuisse ex ære & marmore*, adductæ jam quoque a nobis Septimii querelæ, ac Decreta Synodorum illius temporis, Idolorum Opifices a beneficio Baptismatis, & Communionis Christianorum rejicientia, Ecclesiastici quarti & quinti seculi Scriptores, Legesque Imperatorum, quibus fieri Numinum Imagines, quæ cultui proflarent, prohibebantur: cur autem interdictum ne fierent fuisset, nisi Artifices earum exstitissent? Scribebat Spartianus in Quieti Tyranni vita de imaginibus in auro & argento, inque reticulis, ac dextrocheriis, & in annulis, & in omni ornamentorum genere, eo tempore EXCULPTIS, quin & in tunicis, & limbis, ac matronalibus in penulis pari nas electrinas celebrabat, quæ vultum in medio, in circuitu autem Historiam Heroum continerent. Asterius Amasææ Episcopus, initio quinti seculi Homilia de Divite & Lazaro, de præstantissimæ Arte textrinæ dicebat, quæ, ætate sua, *PICTORIAM ARTEM staminis & subtegminis subtili complexione imitabatur, quaque floridæ sexcentisque variegatæ figuris*

vestes

vestes operosissime conficiebantur. ἔτις τῇ πλοκῇ τῦ σήμονος πρὸς τὴν χρόκλω τῆς γραφικῆς μιμεῖται, κ. τ. λ. Ne heic de innumeris dicam linteaminibus Ecclesiarûm, sacrisque vestibus, velis ac tapetibus acupictis, ac sacris Imaginibus refertis, quibus Romani Pontifices per illa tempora Ædes sacras ornavere: & de quibus post Anastasium Julius Cæsar Bulengerus de Pontificum, Episcoporum, & Sacerdotum Christi cultu & vestitu agens Libro I. Capite 55. sed magis immortalis Muratorius, Dissertatione XXIV. de Italicis Antiquitatibus, in qua de Artibus agit, quæ inclinante Imperio nostris in regionibus fuerunt.

Artificia porro ea omnia a scientia Graphidis pendebant, quemadmodum & sacrarum formæ Ædium annexis cum porticibus, balneis, tribunis, sanctiori cella, sacrariis, altaribus, ciboriis, thecis, candelabris, vasibus sacris, thuribulis, aliisque sacris instrumentis, quæ, juxta ethnicæ leges Graphidis, antiquissimorum fideles temporum sibi confecerunt, ut Polletus, Ciampinius, Paciaudius, Gesnerus, Lupius, satis innuunt. Cur igitur desideratos tunc fuisse Artifices, Pictoresque suspicabimur? Immo cur analogia ac ratiocinio id persequimur, quod res ipsa manifestat? Notissimæ Picturæ sunt a Paulino Nolano celebratæ, & magnus Basilius, quum Barlaami martyrium voce gestuque ac uberrima Oratione descripsisset, in id ipsum Pictorum artem excitabat, ita eos alloquutus: *Absolvite truncam hanc imaginem ejus inclyti Ducis, quam inchoatam, atque imperfectam ante oculos vestros ego collocavi. Illustrate imaginem hanc Arte vestra, quodque obscure a nobis adumbratum est,*

id

id ipsum quæso vos absolvite. Fulgeat imago ista COLORIBUS VESTRIS, *& Athletam, quem ego coronare volui, vos nunc melius coronate* PENICILLO. *Discedam ex hoc loco victus Artis vestræ excellentia & subtilitate, cui succubuisse gloria & voluptas mihi erit, victoriaque vestra gestiam ipse & exultabo. Jam nunc cerno luctam Athletæ hujus, vimque manuum ejus, lacertosque ac toros, & vigorem animi, & bellatoris hujus virtutem, expressa cuncta* COLORIBUS VESTRIS *magis ad vivum, quam nostris effici sermonibus potuerint. Ingemiscant nunc Dæmones, & ad Martyris triumphum confusi dilabantur, & victrices illas manus rursus videant &c.* ὑπάστηί μοι νῦν ὦ λαμπροὶ τῶν ἀθλητικῶν κατορθωμάτων ζωγράφοι, κ. τ. λ. Num gravissimus Sanctus Pater ita alloqui Pictores ætatis suæ potuisset, nisi Artifices ipsa saltem probatos habuisset? De Meletio ab Antiochenis culto tradit Nicephorus Libro XII. Capite 14. *Tantum Viri illius omnium in animis relictum fuisse desiderium, ut illius formam & Effigiem* IN PARIETIBUS AC TABULIS DEPINGI, *& in annulis* EXCULPI *curaverint.* ὡς καὶ τοίχοις, καὶ σανίσι, καὶ δακτυλίοις τὸν ἐκείνου τύπον ἐγγράφεσθαι. Seculo immo Iconoclastico & sequentibus, quæ nos jam barbara, ac fine ingenuarum cognitione Artium existimamus, num tanta animorum contentione pro cultu sacrarum Imaginum decertatum a nostrorum myriadibus fuisset, nullos si tunc habuissent saltem mediocres Artifices, qui Sanctorum sibi Tabulas pinxissent? Numquam igitur ex sola Scriptorum laude, de Artificum Operumque numero constituendum est, multoque minus

nus de copia veterum pictarum Tabularum ex Græcis ac Romanis illis Scriptoribus, qui solos memorare præstantissimos Opifices consueverunt. Quod si vero plures adhuc fuere Deorum Statuæ, quam Picturæ, quum majoris illius quantitatis tot naturales, ut ita dixerim, caussæ prostent, non est, cur minorem illarum numerum inopiæ cultus tribuamus. Ex ea enim majori Simulacrorum, quam pictarum copia Tabularum apud Ægyptios, Etruscos, Græcos, & Romanos, consequi, solas Deorum Statuas ab Ethnicis fuisse adoratas, non autem Imagines penicillo & coloribus expressas, haud aliud profecto foret, quam ex valde majori Statuarum ex lapide & ligno, quæ nobis Sanctos repræsentant, multitudine, præ earum, quæ sunt ex auro & argento, paucitate, perperam inferre, nos Imagines quidem sculptas Sanctorum ligneas lapideasque venerari, non tamen eas, quæ ex auro argentoque efformatæ sunt: quod quam alienum a veritate sit, nemo non intelligit.



CAPUT

CAPUT XII.

Idem argumentum illustratur magis, & cur pictæ Numinum Imagines, olim a Gentilibus cultæ, hodie non supersint.

QUamvis superius posita rem conficere satis videantur, remanet explicandum tamen, cur Plinius, & Pausanias, nec unam ex iis, quas qualicumque tandem apud Græcos laudaverunt numero Numinum Picturis dixere adoratam. Movit enim hanc dubitationem Winckelmannus, qui nuper Historiam Artium apud Veteres conscripsit. Ita ille namque Parte I. Capite IV. Sectione I. § 5. *La lenteur avec laquelle la Peinture se perfectionna vint en partie de l'usage & de l'emploi qu'on en fit. Comme la Sculpture etendoit le culte & en quelque sorte le domaine des Dieux, on peut dire aussi que la Religion favorisoit cet Art en Grèce, & qu'elle servoit à la perfectionner. La Peinture n'avoit pas les mêmes avantages. Ce ne fut que plus tard qu'elle fut vouée aux Dieux & introduite dans leurs Temples. Quelques Temples, comme celui de Junon à Samos, devinrent Galerie de Peintures. A' Rome on suspendit aux voutes du Temple de la Paix les Peintures des meilleurs Maîtres. Mais il ne paroit pas que les Ouvrages des Peintres Grecs ayent été un objet de vénération en Grece, au moins parmi tous ceux dont Pline & Pausanias ont parlé, il n'y en a aucun qui ait obtenu cet honneur, à moins que quelqu'un ne voulut trouver un*

Tableau déifié dans ce Passage de Philon: *μηδὲν ἐν προσευχαῖς ὑπὲρ αὐτοῦ (Καίσαρος) μὴ ἄγαλμα, μὴ ξόανον, μηδὲν γραφὴν ἱδρυσάμενοι.* De quo testimonio nos jam diximus, & quo revera cultus apud Ethnicos pictarum Tabularum confirmatur. Statuariam igitur Artem apud Græcos ad summum perfectionis pervenisse gradum ante Picturam censet Vir doctus, ea ipsa de caussa, qua Poetica ars ante artem Oratoriam perfecta est, quia prius Deorum laudes cantibus ac Poesi celebratæ sunt, quam Eloquentia in strepitum fori fuerit inducta: quæ meditatio cum Plinii ac Pausaniæ silentio conjuncta præstitit, ut Templa quidem picturis Numinum ornata fuisse facile concesserit, sed eas sacri objectum cultus in Græcia fuisse dubitaverit.

At enim vero plura sunt quæ obstant, ne docti hujus Viri animadversionibus ac illationi adhæreamus. Etiamsi quippe alii sint Antiquarum rerum & Artium Interpretes, qui Sculpturam absolutam ponunt antequam Pictura suos colores invenisset, immo ampliores olim Statuarum copiæ, quam Picturarum, plures nos superiori Capite adduxerimus rationes; at, si non de qualicumque, sed summa & absolutissima de perfectione ac præstantia utriusque Artis sermo sit, eam numquam crediderim Sculpturæ potius quam Picturæ, speciali habita sacri cultus ratione, afferendam. Primum namque certum est, Statuas Deorum diuturno fuisse tempore ab Ægyptiis, Etruscis, Romanis, Barbarisque nonnullis adoratas, quin ille tamen cultus plurium spatio seculorum in caussa fuerit, cur illarum Sculptores Gentium summam absolutam-

lutamque Artis perfectionem nacti sint. Barbara adhuc vixque ferenda nostris in Museis visuntur Gentium aliquarum Signa & Sigilla, aliarum vero secundum Artem prope elaborata, duriora tamen ac rigidiora, nec ad eam mollitiem, perfectumque & animatum ducta statum, quem in Græcorum Statuis miramur. Cur itaque apud solos Græcos Religio & cultus potuissent, quod in tot aliis populis Simulacrorum cultoribus non obtinuerunt? Neque vero negandum est, quo magis exercetur Ars, eo citius ad perfectionem generatim pervenire. Sed numquid exerceri magis Sculptura potuit, quam apud Etruscos, quorem ex regione, dum primum Romani Populi provincia facta est, duodecim mille Simulacra unico raptu Romam delata sunt: sparsa etiam per alios populos innumera, totque demum Romam vecta, ut pro veterum Scriptorum dicendi ratione, viventium numerum hominum superare viderentur? neque propterea tamen tam assidua Etruscorum Artificum exercitatio eos ad perfectionem Artis absolutissimam perduxit. Jamque per plura secula sacras Imagines tum sculptas, tum pictas Nostri cultu religiosissimo honorabant, quum adhuc Michaeles Angelos, Raphaeles, Titianos &c. expectarent. Cultus enim Imaginum, copiam Artificum arguit, sed istorum excellentiam non evincit.

Ad felicem igitur rerum conversionem confugiendum est, qua acertima Græcorum ingenia se se Graphidi tota dediderunt, & qua quum intra tunc temptas utriusque Artis angustias se se coarctare non valerent, eos conatus edidere, quibus Artem utramque ad absolutissimam perfectionem evexerunt. Indi-

casse id videtur Tullius in Bruto scribens: *Quis non intelligit Canachi Signa rigidiora esse, quam ut imitentur veritatem? Calamidis dura illa quidem, sed tamen molliora, quam Canachi. Nondum Myronis satis ad veritatem adducta, jam tamen quæ non dubites pulchra dicere. Pulchriora etiam Polycleti, & jam plane perfecta, ut mihi quidem videri solent. SIMILIS IN PICTURA RATIO EST, in qua Zeuxim, & Polygnotum, & Timantem, & eorum, qui non sunt usi plusquam quatuor coloribus, formas & lineamenta laudamus. At in Aetione, Nicomacho, Protogene, Apelle, jam perfecta sunt omnia.* Rursus autem: *Atheniensium plus interfuit firma tecta in domiciliis habere, quam Minervæ Signum ex ebore pulcherrimum: tamen ego me Phidiam esse mallem, quam vel optimum Fabrum: PRÆSERTIM QUUM PAUCI PINGERE EGREGIE POSSINT, AUT FINGERE.* Similem dixit utriusque Artis rationem Tullius, quod utraque imperfectiori ex statu ad perfectissimum progressa sit, ordine quasi naturæ, Opificumque posteriorum industria, ac æmulatione, non extraneis ex caussis, quas vel in neutra, vel in utraque præconcepit, deque EGREGIIS operibus Graphidis, ac de Opificibus EGREGIIS differens, utriusque perfectionem Artis æque arduam ponit, & EGREGIA earum opera a sola Artificum eximia absolutissimaque virtute repetenda. Eadem vero sicut ætas protulit EGREGIOS Sculptores, sic postea altera ætas Pictores EGREGIOS tulit. quemadmodum etiamsi jam a Trojanis temporibus laudem in dicendo Ulyssi tribuerit Homerus ac Nestori, attamen, ut allegato

in

in Opere animadvertit Tullius, sola ætas Hyperidis, ac Demosthenis, & Æschinis, & Lycurgi, & Dinarchi excellentissimos effudit Oratores; & quamvis fuerint ante Homerum Poetæ: quod ex eis carminibus intelligi potest, quæ apud illum & in Phæacum, & in procorum epulis canuntur, posterior tamen solum ætas egregios eximiosque tulit Vates; ita quamvis pluribus Artium Opificibus ante Philippum & Alexandrum Græcia non caruerit, præstantissimi videntur tamen illorum ætati reservati, qua tantum ad honorem & existimationem Ars Graphica adscendeiat, ut Aristoteles Libro VIII. de Republica Capite 3. eam inter Artes ad liberalem puerorum Institutionem pertinentes collocaverit, scribens *Videtur enim ARS PINGENDI ad melius solertiusque judicandum de Artificum Operibus esse utilis*, δοκεῖ δὲ καὶ γραφικὴ χρήσιμος εἶναι πρὸς τὸ κρίνειν τὰ τῶν τεχνιτῶν ἔργα κάλλιον. Ad vitandam scilicet in emptione venditioneque Picturarum deceptionem, & ad pulchritudinem corporum rectius cognoscendam. Itaque præclarissimi illius temporis Artifices ingenio, virtute, industria, æmulatione, ceterisque faustis rerum acti & animati vicibus, Opera quidem, quæ objectum cultus erant, perfecerunt, sed etiamsi profana tantum objecta expressissent, (& porro mira innumera expressere,) summam adhuc tamen Artis gloriam fuissent consequuti. Eadem autem ratione, eodemque sensu videntur utriusque Artis præclari Opifices operam in objectis cultus exprimendis collocasse. Nam sicut Capite VIII. ex Athenæo, Clemente Alexandrino, & Aristenæto, diximus, Apellem, ET PI-

PICTORES OMNES, dum floreret Phryne, Veneris imagines ad ipsius pulchritudinem imitatione retulisse: ita Arnobius Libro adversus Gentes VI. de Sculptoribus scribebat: *Phryna illa Thespiaca, cum in acumine ipso esset pulchritudinis, venustatis, & floris, exemplarium fuisse perhibetur cunctarum, quæ in opinione sunt, Venerum, sive per Urbes Græcas, sive iste quo fluxit amor talium cupitiasque Signorum. Itaque ARTIFICES OMNES ipsis iisdem qui temporibus exstiterunt, quibusque PRIMAS DABAT exprimendarum Similitudinum Veritas, omni cura studioque certabant, filum Capitis prostituti CITHEREJA IN SIMULACRA traducere. Ardebant Artificum Scua: alterque alterum vincere CONTENTIOSA ÆMULATIONE quærebant, non Venus aut augustior fieret, sed ut Phryna pro Venere staret.* Quidquid igitur absolutissimæ perfectionis jam in Arte possidebant, circa Imagines Deorum tum Sculptores ostentabant, tum etiam Pictores, quin cultus in caussa speciali fuerit, cur illi potius, quam isti, ad summum perfectionis Artis apicem adscenderint.

Concedamus tamen, cultus etiam caussa, Sculptoriam perfectissimum consequutam fuisse gradum antequam pingendi Ars optimos colores invenisset. Quid ex hoc sequeretur? Illud unum, nisi fallimur, prius culta Deorum fuisse Heroumque Simulacra, quam eorum Imagines coloribus expressas: non autem hæs, postquam saltem perfecta fuit Ars, numquam fuisse adoratas. Quemadmodum enim, ut in eodem simili, quo Winckelmannus utitur, versemur, ex quo Deorum Heroumque laudes primum quidem cantibus ac Poesi

Poesi celebratæ sint, haud consequens est, eas soluta Oratione non fuisse demum celebratas, ut in Oratione Lælii, de qua fatebatur Tullius in Bruto, quidquam, quod de Religione dici posset augustius, non potuisse reperiri; utque fortasse etiam in Panathenaico Isocratis, certissime vero in Orationibus Aristidis, Juliani Cæsaris &c., ita ex quo primas habuerit Sculptoria Ars in Imaginibus Deorum perficiendis apud Græcos, aut ex quo cultus ejusmodi Imaginum, ratio specialis fuerit, ob quam Sculptura ad absolutam perfectionem perveniret, haud consequens esse debet, numquam cultas fuisse Numinum Imagines coloribus expressas, postquam saltem pingendi Ars suos colores nacta eas Ethnicis suppeditavit, nec intelligo quare istarum etiam cultus caussa æque specialis esse haud potuerit, cur Pictores Græci absolutam attingerint perfectionem. Semel vero si conceditur, Templa Gentilium fuisse Picturis Numina repræsentantibus ornata, fieri vix potuit, ut non semel diximus, quin illæ colerentur. Quis enim Cultores Deorum ab adoratione talium Imaginum continere potuisset? Romanos denique pictas Deorum Heroumque coluisse Tabulas ne ipse quidem dubitare videtur qui prope dubitavit, an Græci eas adoraverint. Sed si a Romanis, penes quos pingendi Ars numquam ita valuit ut apud Græcos, pictæ Deorum Tabulæ fuerant divinis honoribus donatæ: cur a Græcis apud quos Ars hæc summum ad apicem pervenit, sacros honores adeptæ minime fuissent?

Plinii ac Pausaniæ silentium nos concedere non cogeremur: quippequod plurium cultus Picturarum, etiam

etiam apud Græcos, ex eorum effluat narrationibus, ac locorum, quæ adduximus, exigentia eum saltem inferre videatur. Siluisse ipsos tamen concedamus: quid inde? Num ut ea de re dicerent, eorum scribendi ratio postulabat? Nil profecto minus. Nam, ut eorum cogitationem omittamus, qui Plinium, obiter tantum, atque occasione marmorum & colorum, scripsisse de Statuis, deque pictis Tabulis arbitrati sunt: ac adfirmemus ipsum, ceu Artium Interpretem, ea Simulacra Picturasque memorasse, non est, cur eorum de cultu, & sacris, & festis dicere aliqua ratione Artium Interpres debuisset. Manibus omnium teruntur Vitæ recentiorum Pictorum, descriptionesque profanarum non modo, sed sacrarum etiam Tabularum, quæ nostris aut fuerunt, aut prostant adhuc in Templis, apud innumeros ingenuarum Artium Interpretes memorantur talibus in Commentariis excellentissimorum, qui post renatam Artem floruere, Tabulæ Pictorum, tum quæ fuerunt olim, tum adhuc reliquæ: Auctor, occasio, tempus, pretium, elegantia, jactura earum, vel conservatio; mysteria magna Physiognomices in aliquibus, in aliis Metoposcopiæ leges, in aliis omnia Graphidis præcepta egregie servata, hujusmodi demum infinita explicantur: vix autem earum de cultu sermo fit: sive quia id abunde cunctis notum præconcipitur; sive magis quia scribendi leges id ab Artificum tantummodo Historicis, vel ingenuarum modo Artium Interpretibus, minime omnino postularent. Cardinalis Federicus Borromæus duos præclarissimos edidit *de Pictura Sacra* Libros, in quibus Vir egregius

gius, non tam ut illustrem ingenuarum Interpretem ac Mœcenatem Artium decebat, quam ut Scriptorem decebat Ecclesiasticum, plurima de sacris pingendis Imaginibus præscripsit: egit data etiam opera Libri II. Capite 11. de vario juxta SS. Patres sacrarum Imaginum usu apud Christianos, hæcque earum de cultu nuda profert verba: *Insuper honorem eum habere volebant Imaginibus ipsis, quem Scholæ, Doctoresque admittunt.* Si Itali, cultus sacrarum Imaginum addicti, de Tabulis præstantissimorum agentes Artificum, quemadmodum & Galli, & Hispani, & Belgæ, vix ullum tamen proferunt earum de cultu verbum: quarum tamen magna pars vel super altaribus adhuc Templorum est, vel e Templis, bona cum venia, (dum ex primigenis exemplaribus aliæ Tabulæ expressæ sunt, ac in sacris Ædibus, piorum cultui relictæ,) celebriores transiit in Pinacothecas, quæ, humanarum fato rerum, pretio tandem cessere & cupiditati Exterorum; si recentiores, inquam, ejusmodi Scriptores, in Pictoribus Picturisque describendis toti, vix earum cultus, qui tamen ipsis procul dubio exhibetur, meminere; quoniam Auctoris & Artis, pretiique & fortunæ Tabularum, quas describebant, mentionem facere solum oporrebat: quonam jure a Plinio, ceu Artium Interprete, illud fieri opus fuisse, respectu Imaginum Deorum apud Græcos, ita postulabimus, ut ex ipsius silentio, earum de cultu dubitare debeamus?

Pausanias Græciam non lustravit, nisi jam octuaginta ab annis bellico Romanorum jure lacessitam, vastatam ac oppressam, omnibusque prope Tabulis

 spo-

spoliatam, Statuis & ornamentis, ut ipse *in Corinthia-cis* fatetur una & queritur. Inque quum celebriorum Opera Artificum vel jam deleta, vel delata Romam, in Graecia tunc desiderarentur, locorum magis situs, & intervalla diligenter exploravit, & adnotavit accurate: praeteritos Rerumpublicarum status, Imperiorum successus, Regum familias, ac res praeclare gestas, bellorum deinde caussas, & ambiguos exitus, Ducum consilia, militum fortitudinem, pacis item Artes, ac sumptuosa quae fuerant olim aedificia, cetera demum, quae ad instituendas conservandasque Respublicas multum habebant adjumenti: neque earum descriptionem omisit rerum, quae multis de caussis aut voluptati Lectoribus esse potuissent, aut admirationi, quemadmodum Loescherus, Vossius, Romulus Amasaeus, Bodinus, Aldus Manutius, aliique animadverterunt. In tanta vero describendarum sublimitate rerum, quanam necessitate de cultu imaginum Deorum dicere Pausanias debuisset, aetate praesertim, qua post Graeciae excidium vix aliquis esse illic poterat cultus Sacrorum apparatus? Non igitur ab ejusmodi Scriptorum genere, quemadmodum nec a Philosophis Gentilibus, qui maximam saltem partem interiori animo occulteque popularem Religionem non probantes, de ea dicere omittebant, quaerenda descriptio est cujuscunque idololatrici objecti; sed, quemadmodum praestitimus, a Sacris potius Literis, quae in falsos invehebantur Deos & a Sanctis Ecclesiae Patribus, qui quum Idololatriam quod ad omnes oppugnandam partes sibi constituissent, scribere propterea de quocumque genere Imaginum cultuum debue-

debuerunt. Quum autem & Græcus Auctor Libri Sapientiæ, & omnes Græci Patres, Picturas a Græcis cultas fuisse testati sint, haud intelligo qui ex solo Plinii ac Pausaniæ silentio de ea veritate dubitemus.

Hujus cogitandi rationis Patronum advocarem ipsum Winckelmannum, qui Tomo præsertim laudati Operis II. adeo queritur de veterum apud profanos Scriptores inopia monumentorum, quibus ingenuarum origo & progressus Artium cognosci valeat atque explicari. De ratione earum agit Vir doctus apud Phœnices, Persas, Parthosque, Etruscos, Volscos, ac Populos finitimos, ad quod fragmentis vix uti potest aliquorum sive Scriptorum, sive marmorum, nec aliud habet quam ad maximam, qua pollet, artis peritiam perfugium. In ruinis Persepoleos *moles immensis sumptibus congestas*, & *ultra fidem fere ORNATAS STATUIS* admirabatur Gisbertus Cuperus Itinerarium describens Cornelii de Bruyn, adjunctasque ipsi æneas Tabulas, in Epistola ad Maghabechium. Illarum autem Artificum nullam habemus in monumentis Veterum memoriam. Vidimus Zeuxidem diuturno solum tempore sua Picturæ opera perficientem, nec accelerasse Sculptores illos, quorum memoriam Posteritati tradere Antiquitas dignata est, solitos fuisse sua conficere Simulacra, testabatur Petronius in Satyrico; *Lysippum*, inquiens, *Statuæ unius lineamentis inhærentem inopia extinxit; & Myron, qui pene hominum animas ferarumque ære comprehenderat, non invenit heredem*. At nos post tantam barbarorum temporum iniquitatem ex solis

 frag-

fragmentis ac reliquiis detectis, majori numero fuisse olim Statuas quam homines, prope crederemus: quarum tamen de Opificibus altissimum sane est vel apud veteres rerum Antiquarum Interpretes silentium. Recte Montfauconus Præfatione in Supplementum Antiquitatis explicatæ, *Vix ullum*, inquit, *in re literaria argumentum tam amplum reperias, quam monumenta Veterum: quotidie namque ex tenebris nova singulariaque eruuntur, quæ nuspiam observata fuerant. Ubi te colligendis omnibus postremam admovisse manum existimas, tunc sæpe redintegratur labor: ubi librum absolveris, nova Cimelia te ad alium continnandum librum evocant. IN TERRA MULTA CONDUNTUR, quæ fortuito casu in lucem prodeunt. In agris, in urbibus innumera eruuntur: ubi putas te omnia exhausisse Musea, ex iis ipsis Museis alia eduntur, NE POSSESSORIBUS QUIDEM SAT COGNITA. In omnibus fere Europæ partibus perquam multa ex pulvere & situ emergunt. Ex Oriente & Ægypto sæpe multa accedunt sane spectabilia: quodque magis mirere, non pauca recepta fuere, quæ licet omnium paterent oculis, non minus ignota erant, quam si in ruderibus latuissent, donec accuratius perpensa & examinata, quanti ea habenda essent, deprehensum fuit.* Tam illustrium veritatum exemplum patens est Montfauconus ipse, qui præter haud modicas omissiones ipsi a plurimis objectas, de celebri TABULA ISIACA, quam in Antiquitate explicata ex Pignorii schemate exculptam dedit, primum loquens, tam eximium monumentum post captam Mantuam prorsus amissum affirmavit: sed generali in Indice ita se se correxit: *Table Isiaque*

T. II.

T. II. 329. Son Histoire. Cette Table a été perdue. On dit qu'on la trouve encore à Turin, mais fort gâtée. Quam tamen qualemcumque emendationem ignoratam sibi voluit Banierius, qui Tomo II. Libro VII. Operis post Montfauconi Antiquitates editi: *La Mythologie & les Fables expliquées par l'Histoire*, ISIACAM TABULAM deperditam rursus scribit: quum tamen hoc Antiquitatis miraculum, integrum perfectumque, Augustæ Taurinorum Regiis in Archivis cuilibet visendum prostet.

Nil verius itaque, quam diligentioribus aliquando ignota ea esse, quæ oculis omnium patent. Mabillonius Iter Italicum instituit, ut quæ Ecclesiasticam spectantia ad Antiquitatem apud nos reperiret, vel ignota adhuc, vel ab aliis minus recte observata, diligentius manifestaret. Brixiam perventus, quicquid præclatum est in Urbe laudat, sed nil pro studiis se invenisse suis dolet: quum tamen in celebri Sanctæ Juliæ, Virginum Ordinis S Benedicti Monasterio, & quidem a Sodalibus Mabillonii ipsius recto, præter vetusta postea in lucem edita Diplomata, nec non aliorum plurium memoriam deperditorum, pretiosissimus quinti seculi Codex Evangeliarius reperiretur, a Garbellio, & Blanchinio deinde illustratus. In eodem quoque Regio Ginecæo, præter alia non pauca humanæ industriæ monumenta, Crux etiam modicæ altitudinis, & paris altitudinis asservatur, in qua integrum S. Johannis Evangelium mirabiliter effictum est. Ast isthæc quoque Ascetam doctum latuit. Ut de Picturis ac Pictoribus propius dicamus, data opera de illis, qui post renatam Artem floruere, scri-

pse-

pserunt Vasarius, Malvasia, Ridulfius, Baldinucius, &c. a quibus tamen quot Artifices, qui Picturas sacras, & quidem probatissimas, fecere, omissi fuerint, ostendit Maffæjus, Veronæ illustratæ P. III. Capite 6. Quot alios laude ac memoria dignos, qui plurimis in Urbibus adhuc visendas sacras Imagines pinxere, illis in Commentariis prætermissos arbitreris? Quî autem aliquando dictum de cultu singularium aliquot pictarum Imaginum fuisset, quum tunc ne quidem de singularium Arte Pictorum, Picturarumque elegantia aut qualitate dictum sit? Non enim semper Architecturæ, Sculpturæque ac Picturæ amores viguerunt, neque olim, ut nunc, celeberrimæ harum Academiæ Artium in Regiis erant ac doctioribus Europæ Urbibus erectæ: nondum ingenuæ erant Artes Romanum in Capitolium inductæ: reservata BENEDICTO PRINCIPI AC PONTIFICI VERE OPTIMO hac gloria: ingenuis proinde Artibus in Capitolio celebratis: de quibus tamen nil dulcius ac suavius, amœniusque ac elegantius ipse legi Orationibus Capitolinis egregii summique Viri, Felsinæ decoris suæ, Francisci Mariæ Zanotti, in quibus Eloquentia cum Artibus, Artes cum Gratiis, Gratiæ cum Amoribus, de palma mirifice contendunt. Hodiernæ autem ut industriæ favit quam maxime Fortuna, ita hæc industriam auxit atque diligentiam. Quotusquisque enim ante non multos annos Herculanensi de thesauro pictisque ejus Tabulis suspicatus vel leviter fuisset? Quis tot antiqua marmora in Subalpinis repertum iri facile persuasisset sibi, antequam eorum pars collecta in Athenæi Ædibus fuisset? Nec

ab

ab Antiquis certe memorata, neque Recentioribus nota satis erant præstantissima tot Anaglypha, Signa, Sigilla, & Simulacra, quæ hodiernis comparent in Bibliothecis, Atriisque, Pinacothecis, Palatiis, Cimeliis, ac Museis, in hoc præsertim Regio Taurinensi, in quo mirabiles cujuscumque visuntur generis Antiquitates, & ex quo pretiosissimi Anaglyphi græci schema, quantum per Artificem licuit, hujus in fronte Operis exhibere, mihi concessum est.

Ex hac feliciate tamen oritur in speciem adversus veteres pictas Tabulas Deorum difficultas, quippequod nullo prope in Museo earum aliquæ comparéant, quæ cultui prostasse publico revera videantur: quum tamen constet, eam fuisse Veterum Picturam, quæ non facile corrumperetur; cujus exemplum rei sunt Imagines pictæ, in Ægypto adhuc reliquæ, ut in regionis illius Descriptione, & in Epistolis ad Stoschium, Nordenus nuper oculatus testis protestatus est: confirmantque observata a Dempstero, Gorio, Winckelmanno, & Passerio, videlicet, in Vasibus Etruscis Campanorum veterum, ac Siculo-græcorum, hodieque Picturas pulcherrimas extare tam vividi coloris, ut nudius tertius e penicillo prodiisse videantur: ne vel Picturam heic omittam vetustissimo in pariete e Mœcenatis substructionibus effossio, & in Aldobrondinis Viridariis reposito; vel Tabulas, Picturasque Herculanenses, quarum recentem colorem omnes admirati sunt. Qui fieri vero poterat, ut quum tot tantaque reliqua nunc sint Deorum Signa, Sigilla, & Simulacra, nulla ex opposito sacra eorum Tabula remanserit, quam certissime cognoscamus fuisse adoratam?

Ve-

Verum omissis generalibus tanti damni caussis, incendiis præcipue, quibus Roma sub Cæsaribus sæpe adeo flagravit, aliarumque exustionibus Urbium, eluvionibus, excidiis, bellis, obscurorum barbarie ac iniquitate temporum, quæ nobis tot Græcorum Latinorumque Scriptorum Opera eripuere: alia se se offerunt, ob quæ, etiamsi infinito extitissent numero pictæ Deorum Tabulæ, aut Picturæ, perire tamen debuerunt. Primum enim, ut concedamus celebratam diuturnitatem ac pertinaciam colorum, quibus Pictores veteres usi sunt, de qua fortasse tamen dubitare quis generatim posset, quum Tullius, in Bruto, significaturus, quantum Hortensius, post Consulatum, caloris in dicendo remisisset, *primus*, *& secundus annus*, inquit, *& tertius tantum QUASI DE PICTURÆ VETERIS COLORE DETRAXERAT*. Plutarchus vero, in Vita Aristidis, de Templo Junonis loquens, illius ætate a Platæensibus erecto, rem miram habuerit, *PICTURAS in eo fuisse, quæ etiamnum* (ætate sua) *florem vividum retinuissent*, *γραφαῖς τὸν νεὼν διεκόσμησαν, αἳ μέχρι νῦν ἀκμάζουσαι διαμένουσι*, quam admirationem Vir gravissimus non admisisset, si omnes illorum temporum a Pictoribus adhibiti colores nil umquam suo de lumine ac splendore amisissent; ut, inquam, ea pigmenta semper spirare potuisse concedamus, utque ex arctissima Artium sculpendi pingendique conjunctione ambas passibus semper equis ad perfectionem progressas esse, juxta aliquorum opinionem, largiamur; *hoc tamen cum discrimine*, commodum inquiebar Middleronus in suis Antiquitatibus ad Tabulam I. *Quod EX DI-*

VER-

VERSA UTRIUSQUE NATURA AC MATERIA accidere necesse erat, ut Picturæ nimirum vel optima quaque Exemplaria PROPTER REI IPSIUS FRAGILITATEM cito perituræ, Sculpturæ vero contra, PROPTER MATERIÆ DURITIEM, in omne fere ævum duraturæ essent. Exemplum votivis in Tabellis apertissimum habemus, quæ duplicis erant generis, pictæ aliæ beneficum Deum Deamve, aut beneficii symbolum coloribus exprimentes: aliæ vero ex marmore, quæ beneficii historiam descriptione verbis facta complecterentur, ejusque memoriam Posteris proderent, ut Strabo tangit Libro VIII Prioris Tabellas generis passim celebrant Auctores quique, Historici, Oratores, Vates, frequentesque illæ adeo erant, ut Juvenalis Satyra XII. commune velutì adagium dixerit,

PICTORES AB ISIDE PASCI.

Attamen quum ad hujusmodi Martyremata nullæ prope nunc inveniantur Tabellæ, frequentiores adhuc reperiuntur lapides in Museis, & apud Gruterum, aliosque veterum lapidum illustratores, nec non Hieronymum Mercurialem Libro I. de Arte Gymnastica Capite 1. *Quid mirum? DURARUNT HI, NON ILLÆ, QUÆ LIGNEÆ*, inquit doctus Ovidii Interpres ad III. Fastorum,

Cl. Belgradus alias superaddit caussas, ob quas veterum inopia Picturarum laboremus in præsens, in Epistola siquidem ad Masseyum de Herculanio scripsit: *Plerosque labores suos PICTORES VETERES cre-*

credere Tabulis consueverunt, in quibus vetustas cariem gignit, & interitum tandem affert: propterea mirandum minime est, cur hac ætate pictæ Grajorum Tabulæ minime extent, quæ edacem vetustatem fefellerint. casus etiam innumeri, qui Grajorum Imperium atque Urbes delevere, iisdem Tabulis fuere fatales. His accedit imperitorum hominum inscitia, fato ipso aliquando nocentior, qui quum nihil faciant ea, quæ ignorant, vel ultro oblata, vel casu inventa dimittunt, aut perdunt. Illud etiam attendas velim, PICTURAS VETERUM PRÆSTANTISSIMAS PRÆ MEDIOCRIBUS AC VULGARIBUS FUISSE PAUCAS. Quis enim nescit, humana omnia ita esse comparata, ut paucis excellentia, pluribus mediocritas insit? Verosimilius proinde est, in communi fere Picturarum interitu mediocres, quam præstantes superfuisse. Animum deinde intendit Vir doctus in Tabulas e laryce præsertim femina olim constantes, quæ antea creta dealbabantur, inque usum pingendi in linteis, plurimum Veteribus ignotum; in morem, quo udo tectorio, sive albario & recenti colores soliti erant inducere veteres Pictores, eos aqua & glutino, non autem oleo diluentes: quod recens Seculi quintidecimi inventum: ex quibus omnibus proclivior facta est Picturarum veterum jactura.

Vix autem concessa a Constantino Ecclesiæ pace, de evertendis Deorum Imaginibus sollicitus fuit Christianorum zelus. Quam facile fuerit pictis interitum afferre, nemo non intelligit; sed non adeo facile fuit interitum afferre Simulacris. Adnotat siquidem Valesius ad Librum XVI. Ammiani Marcellini, sub

Con-

Constantio fuisse NITENTIUM RERUM CENTURIONEM, qui Signorum, Statuarumque ex ære ac marmore in Urbe curam gerebat, noctuque cum militibus observabat, ne quis ea confringeret, mutilaretve. Pro Centurione postea TRIBUNUM RERUM NITENTIUM factum fuisse addit sub dispositione Præfecti Urbis, ut est in Imperii notitia; tandemque pro Tribuno, huic fuisse officio COMITEM præfectum: quod ex Cassiodoro Libro VII. Epistola 13. confirmat: itaque ante Valesium a Lindenborgio fuerant in Adnotationibus ad laudatum Marcellini locum observata. Pro locorum igitur, Imperantiumque diversitate, modo sinistras magis, modo minus, passa sunt vices Deorum Simulacra: donec post Theodosium Imaginum omnium, quæ Deos repræsentassent, interitus postremus decretus est; quare

Sua tunc miracula vidit
IGNIBUS ABSUMI Pictura;

Ex opposito

Latere coacta
Fornicibus, sortem & reliquam confidere cryptis,
Marmoribusque diu SCULPTURA jacere sepultis.

Ut enim quæ ex auro, argento, aut stamno conflata erant Deorum Simulacra, in lebetes, aliasque res ad usum vitæ accommodata fuere, & ad sublevandos pauperes a Theodosio Ecclesiis donata, ut narrat Socrates Libro V. Capite 16. ita quæ ex ære, vel marmore erant Sculpturæ opera, vel abdita, vel

KK 2 sub-

subversa, vel confracta, & dissipata, in terræ, mariſque ac fluminum profundo jacere coacta sunt. Dejiciebantur ſiquidem Simulacra Numinum, & Anaglypha, eaque vel amica occultabantur, vel hostili tantummodo truncabantur, ac evertebantur manu. contra, Tabulæ Deorum pictæ discerpebantur, exurebantur, calce vel albario oblinebantur lapide, redigebanturque in nihilum, numquam proinde reditura. Prioris testimonium moris adfert Sanctus Augustinus Libro XIII. adversus Faustum Capite 9. scribens: *Et forte, iste Gentilis, quem catechizamus, aliqua manu fabricata IDOLA ABSCONDIT in spelunca petræ, aut in caverna terræ, aut aliquem amicum suum scit hoc fecisse, aut in Civitate, vel in fundo suo scit hoc factum esse*. Et Prosper, sive Auctor Libri de Promissionibus & Prædicatione Dei, Parte III. Promissione XXXVIII. *Novi quoque ipse in quadam parte Mauritaniæ Provinciæ de speleis & cavernis ita antiqua producta SIMULACRA, QUÆ FUERANT ABSCONSA, ut omnis illa cum Clericis in sacrilegio perjurii Civitas teneretur. Quid vero per ceteras Provincias in re hac actum sit, & omnibus notum est, & exitus ipsi demonstrant*. De Simulacris Numinum sub Ecclesiis nostris zelo veterum fidelium sepultis agit Auctor Religionis veterum Gallorum ex purioribus fontibus explicatæ Libro IV. Capite 22. Quare ex subterraneis haud minus locis, quam ex alveis fluminum, & littoribus marium, in quæ ea Nostri projecerant, eruta demum, quamvis corrupta, imminuta, deturpata ac fracta, suis nudata symbolis ac signis, innumera illa Numinum Simulacra & Ana-

gly-

glypha, quæ nostras nunc Bibliothecas, Atria, Palatia, Fora, Pinacothecas, Cimelia ac Musæa ornant & illustrant, Simulacra, inquam, & Anaglypha ærea, ferrea ac marmorea: nam ebutnea, infinito quamvis in Græcia olim numero, quum in calcem fuerint redacta, nulla in tuderibus inveniri potuerunt, quemadmodum in ingenuarum Historia Artium animadvertit Winckelmannus. At pictas superstitionis Tabulas, vel Deorum Heroumque Imagines in velis non dicam ac tapetibus, ac linteis, sed in ligno magis, vel in pariete, coloribus expressis, semel deletas, combustasve, rescissas, dealbatas, atque ictu oculi in nihilum redactas; & quarum typos nulla nobis SCALPTURA, ceu nondum, vel recens tunc nimium inventa, ut Libro Carminis de Arte illa III. Ludovicus Doissinus contendit, conservare poterat, infelices illas, inquam, Tabulas, quæ nam sors vel diligentia in dias luminis auras revocare potuisset? Accessere vastationes per totum Orientem, & Europam, & Africam Schytarum, Saracenorum, ac Turcarum, Imaginum cujuscumque generis hostium: nec non Iconoclastarum, in ethnicas haud minus, quam Christianas in Picturas sævientium; quique si quos invenere pictos parietes funditus everterunt Ex quo itaque nullæ nunc prope exstent veteres Tabulæ Deorum, falleretur qui eas olim magno extitisse numero negaret. Quid enim sequeretur? Illud sane: neque profanas olim magno extitisse numero pictas Tabulas; quum illarum simili nunc inopia laboremus.

Caput

CAPUT XIII.

Nec Vitruvianas de ſtructura Templorum Leges, nec Idolorum conſecrationem, Tabularum pictarum cultui obſuiſſe.

IN favorem ſolius cultus Statuarum, forma veterum Templorum militare videretur. Vitruvius ſiquidem Libro de Architectura IV. Capite 5. ita de Ædibus Deorum ſtatuebat. *Ædes ſacræ Deorum immortalium, ad regiones, quas ſpectare debent, ſic erunt conſtituendæ, uti ſi nulla ratio impedierit, liberaque fuerit poteſtas Ædis, SIGNUM, quod erit in cella collocatum, ſpectet ad veſpertinam cœli regionem, uti qui adierint ad aram immolantes, aut ſatrificia facientes, ſpectent ad partem cœli Orientis, ET SIMULACRUM, quod erit in Æde: & ita vota ſua ſuſcipientes contueantur Ædem, & Orientem cœli, ipſaque SIMULACRA videantur exorientia contueri ſupplicantes, & ſacrificantes: quod aras omnes Deorum neceſſe eſt videantur ad Orientem ſpectare.* Capite autem ejuſdem Libri VIII. de aris Deorum ordinandis agens, ſcribit: *Aræ ſpectent ad Orientem, & ſemper inferiores ſint collocatæ quam SIMULACRA, quæ fuerint in Æde, uti ſuſcipientes Divinitatem qui ſupplicant & ſacrificant, diſparibus altitudinibus ad ſui cujuſque Dei decorem componantur.* Revera Lucianus, *in Amoribus*, Veneris Cnidiæ Templum, & lucum, Statuamque deſcriptione exequutus, *intus in Templum*, inquit, *ingreſſi ſumus. Dea in medio collocata eſt.* ἡ μὲν ἐν

θεὸς

θεός ἐν μέσῳ καθίδρυνται. Admonet vero Potterus Libro Archæologiæ Græcæ II Capite 2. locum SIMULACRIS destinatum fuisse in medio Templi, ubi stylobatæ supra aram se se extollentes stabant, cancellisque circumdabantur, quare ipse locus appellaretur *σηκός*, quæ quidem vox proprie *caulam* denotat, sed quia Deorum imagines medio in Templo statuebantur, & obsepiebantur undique cancellis, propterea & locus ille in Templis ita appellatus, ac procedente tempore Templum ipsum *σηκός* dictum parte pro toto usurpata. Consequi oporteret itaque, præcipui saltem Idoli imaginem quocumque in Templo SIMULACRUM, VEL STATUAM fuisse, hancque tantummodo cultui publico propositam, juxta vetustissimum effatum: *ναοῦ λόγος οὐδείς, ὃν οὐ στέφει ἄγαλμα. Templi nulla ratio, in quo non adparet SIMULACRUM.*

Ratio ipsa Sacrorum apud Gentiles cultum Statuarum potius, quam Imaginum pictarum postulabat, nempe eorum consecratio, ob quam Numina talibus in Simulacris habitare credebantur. Quamvis enim superstitiosius Ethnicorum vulgus fuerit, haud facile tamen rudiori etiam significare populo Sacrorum Reges valuissent, Deorum spiritus in pictis nidulari Tabulis, quemadmodum eos ope consecrationis in Simulacra ingredi, nullo negotio persuadebant. Accedebat similitudo, quam Statuæ habebant cum humanis ac divinis, ut Ethnici præconcipiebant, formis, quam ob similitudinem Dii in Statuis vivere quadam ratione videbantur, idcirco Sallustius Philosophus Libro de Deo & Mundo Capite XV. Statuas vitam

Deo-

Deorum exprimere dicebat; idque ob consecrationem, ut ex Apulejo patet in Dialogo, cui fecit titulum: *Asclepius*. Illius sane consideratio Consecrationis in caussa fuit, cur Cardinalis Perronius Græcorum in Statuas odium vindicans, nobis ex opposito licitum earum esse cultum idcirco tueretur, quia, inquiebat, Ethnici Orientales solis Diis Statuas erigebant, non vero hominibus, ut Latini: sosque Orientales eas consecrabant: Græcique soli Deos in Statuis habitare sibi persuaserant; ut ad vocem *IMAGES* legimus in Perronianis.

Verum ab hac meditatione ut auspicemur, nisi Perronianorum Editoribus afferenda ipsa sit, minus audax illius judicium redderer, qui scripsit, modicam in Perronio humaniorum literarum peritiam fecisse ut frequens cespitaret. Numquam crediderim tamen, Perronium revera sensisse a Græcis non fuisse nisi Numinibus erecta Simulacra, quum in Ægypto, totoque in Oriente, sed magis ac præsertim in Græcia, non Regibus dicam & Magistratibus, sed Oratoribus, Vatibus, Philosophis, præclarisque Artificibus, ipsisque adeo Athletis erectas fuisse Statuas, non innumeri modo Scriptores veteres; sed ipsa, quæ in Pinacothecis nostris, Regiisque ac Principum Virorum Ædibus, reliqua nunc etiam sunt, eductaque e Græcia Simulacra, cumulatissime evincant. Numquam rursus crediderim, Perronium revera sensisse, Statuas Deorum a solis Græcis fuisse consecratas; minus adhuc, a Latinis numquam existimatum, Deos, aut eorum Spiritus, in Simulacris nidulatos. Num enim aut Orientales, aut de solis Orientalibus, verba facie-
bant

bant Plinius Secundus, Quintilianus, Minucius Felix, Arnobius, Julius Firmicus Maternus, apud quos Ethnici tam aperte Deos Consecratione in Simulacra induci testabantur?

Romani integras non tantum ex auro argentoque, marmore, ære atque ebore conflatas Numinum Statuas colebant, verum etiam brevia eorum Signa, Sigilla, Sigillaria, parvaque Idola, quæ in Lárariis habebant. Hæc autem vel rite eos consecrasse credimus, vel, ut Martialis ac Statii verbis utar, *colendo, rogandoque*, Imagines eas *Numina fecisse* præconcipimus. Si postremum hoc fuerit, itaque solemnis consecratio non influebat in cultum Imaginum Deorum: ideoque adorati poterant pictæ eorum Tabulæ, quin solemni forent ritu consecratæ. Si vero brevia quoque Signa consecrabantur, vique illius cæremoniæ, Deorum aliquid talibus Statunculis accedere credebant, cur ejusdem virtute cæremoniæ idem in pictis Tabulis contingere non credidissent? quum Sigilla illa ac brevia Idola nil magis Numinis, quam quod Tabulæ Deorum pictæ, continere potuissent. Si demum in nonnullis sculptis Imaginibus Numinum præsentiam adorabant: in aliis solam Numinum repræsentationem; cur hanc in pictis Imaginibus non æque coluissent?

Quod ad vim igitur & effectum spectat Consecrationis haud excogitanda fuerat Græcos inter, ac Romanos Ethnicos distinctio; sed satius distinguendum inter Ethnicos rudiores, eosque, qui sibi prudentiores videbantur, ac Scita denique Pontificum, ac errores superstitiosiorum. Rude vulgus, vix aliquid de

 Con-

Consecratione cogitans, Imagines Numinum Deos ipsos existimabat. quemadmodum Ambracienses apud Livium Libro XXXVIII. Capite 43. querentes inducebantur non modo *Templa tota Urbe spoliata ornamentis, aut Simulacra Deûm ablata, sed DEOS DEMUM IPSOS convulsos ex sedibus suis ablatos esse, parietes postesque nudatos, quos adorent, ad quos precentur & supplicent, Ambraciensibus non superesse.* Et in Dialogo de Sacrificiis ita testabatur Lucianus: *Qui intrant Ædem, non jam indicum sibi ebur videntur videre, aut quæsitum ex Thraciæ metallis aurum, SED SATURNUM IPSUM, ac Rheæ filium, in terris traductum, collocatumque a Phidia* ἀλλὰ τὸν Κρόνον καὶ Ῥέας ἐς τὴν γῆν ὑπὸ Φειδίου μετῳκισμένον. Ethnicorum alii, *QUI PURGATIORIS RELIGIONIS, SIBIQUE DOCTI ESSE VIDEBANTUR*, Idola sua, etiamsi consecrata, Deos negabant esse; sed eorum tantummodo Similitudines ac repræsentationes esse prædicabant, apud Origenem, Lactantium, Arnobium, & Divum Augustinum, ipseque, quamvis theurgigis addictissimus Consecrationibus, Julianus in fragmento Orationis scribebat: *Nos Deorum Imagines contuentes, neque lapides, neque ligna, eas solum esse, nobis persuademus, sed NEQUE DEOS IPSOS hæc eadem esse credimus,* μηδὲ τοὺς θεοὺς αὐτοὺς εἶναι ταῦτα, *nec Simulacra timemus, sed eos ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus CONSECRATA SUNT.* Et vero Sallustius Philosophus non scripsit objecto loco Deos in Simulacris vivere; sed *Templa quidem Cælum, aras terram imitari, Statuas vitam* (in ipsis Diis) *exprimere: ideoque viven-*

tibus

tibus similes repræsentari. διὸ οἱ ναοὶ τὸν οὐρανόν, οἱ δὲ βωμοὶ μιμοῦνται τὴν γῆν, τὰ δὲ ἀγάλματα τὴν ζωήν, καὶ διὰ τοῦτο ζώοις ἀπείκασται, quæ omnia mythicam solum exprimunt significationem. Denique, si Pontificum Scita, ac superstitiosiores Ethnicos respicimus, pro Sacrorum, regionumque diversitate, diversum ac multiplex erat genus Consecrationum, ut Plinius Secundus Libro Epistolarum X. ad Trajanum scribebat; & magis Vandalæus in Dissertatione *de Consecrationibus Ethnicis* ostendit: proindeque non iidem Consecrationum omnium effectus ponebantur. Quamratum immo, & arcanum, & impervium, quantisque religionibus ac cæremoniis onustum, legitimarum fuerit Consecrationum genus, fuse manifestat Tullius in Orationibus pro Domo sua, & de Haruspicum Responsis. Ita Ethnicus apud Minutium Felicem in Octavio: *Spiritus Deorum sub Statuis & Imaginibus CONSECRATIS delitescunt, & afflatu suo auctoritatem QUASI PRÆSENTIS NUMINIS consequuntur*. En afflatum auctoritatemque Numinis quasi præsentis, en virtutem potius nescio quam Numinis, quam Numen ipsum in Imaginibus consecratis. Cur ejusmodi auctoritas, & afflatus, & virtus, in pictis æque ac in sculptis Imaginibus Deorum, virtute Consecrationis, pro Gentilium opinione, reperiri non potuerit?

Revera Jamblychus in Libro de Mysteriis Sectione I. Capite 9. explicaturus quomodo Deorum virtus Imagines pervaderet, illud ita exprimit, ut pictis eorum Tabulis æque fuerit, ac Statuis accommodatum. *Divinitas nempe*, inquiebat, *sive partes ali-*

quas Universi sortiatur, puta cælum, vel terram, sive urbes sacras, & regiones, & saltus aliquos, VEL SACRA SIMULACRA, ἢ ἱερὰ ἀγάλματα, *solet hæc omnia* EXSTRINSECUS IRRADIARE, ἔξωθεν ἐπιλάμπει, *quomodo Sol suis omnia radiis exstrinsecus collustrat. Quemadmodum igitur lux continet ea, quæ illuminantur, sic & Deorum potestas ea, quæ de se participant: & quemadmodum aeri adest lux, ita ut non permisceatur cum eo; sic divinus fulgor micat separatim, inque seipso stabilis ac permanens pervadit omnia totus. Divinorum igitur numerum* RECEPTACULA *pro sua quæque proprietate recipiunt* DEORUM DOTES, *quod quidem considerans Ars Sacrorum Operum utitur* INVOCATIONIBUS ACCOMMODATIS *hujusmodi Numinum distributioni.* Consecrationis autem genus, quod in exteriori irradiatione constitutum erat, convenire potuisse pictis Deorum Tabulis, nemo dubitaverit: quamvis ii sæpenumero etiam Ethnici, ut nec ejusmodi irradiationem, neque Consecrationem aliquam expectassent, quo superiorem, indiamque virtutem in Tabulis Deorum sibi persuaderent, ut intelligimus ex Plinio Libro XXXV. Capite 8. scribente *Lucius Mummius, cui cognomen Achaici victoria dedit, quum in præda vendenda Rex Attalus VI sestertium emisset Tabulam Aristidæ, Liberum Patrem, pretium miratus,* SUSPICATUSQUE ALIQUID IN EA VIRTUTIS, QUOD IPSE NESCIRET, *revocavit Tabulam, & in Cereris Delubro posuit.* Qui autem difficile factu poneret, persuadere populo Gentilium, spiritus Numinum, vel eorum virtutem in Tabulis consecratis contineri, næ

ille

ille ignoraret, incredibilia portenta in quidquid Amuletismi, etiamsi ter exile ac gracilissimum, a vulgo fuisse sommiata, integrasque Urbes ac Provincias salutem aliquando suam, & magis quam divinum quid, in filo contineri aut velo credidisse.

Ceterum pictas Deorum Tabulas a Gentilibus fuisse, Consecratione veluti *deificatas*, Controversia Iconoclastica evincit. Quum enim priores Iconomachi, haud adeo a postremis Gentilium temporibus remoti, eo etiam nomine Orthodoxos de Idololatria criminarentur, quod Ethnicorum instar, Imagines sacras, pictas scilicet, quas certe solas Græci tunc temporis cultui proponebant publico, *deificarent*: Hadrianus tunc Romanus Pontifex, in Epistola ad Constantinum & Irenem, *absit a nobis*, inquiebat, *ut ipsas Imagines, sicut quidam garriunt*, *DEIFICEMUS*. *θεοποιήσωμεν*. Ita & Nicæni Patres, ita Johannes Damascenus, ceterique Orthodoxæ pietatis Vindices. Calumniabantur sane Iconomachi, dum urgebant, solitas a nostris Imagines *deificari*. Numquam tamen de calumnia illa cogitassent, nisi pictas Deorum Tabulas Consecratione a Gentilibus *deificari* solitas intellexissent. Interim poni si deberet, Ethnicos Simulacra modo Deûm coluisse, quia Spiritus in illis ridulari sibi persuasissent, vindicatæ satis inde evaderent Statuæ Sacræ Latinorum: nemo quum ignoret, nullam nos præconceptam habere Christi, aut Deiparæ, aut Sanctorum, in eorum Simulacris virtutem aut præsentiam, nec alio ea loco, quam pictas Tabulas habere.

Haud

Haud officiebant vero Picturarum cultui Vitruvianæ de structura Templorum leges. Præterquamquod enim non in solis Templis colebantur Imagines Deorum, millenos jam per annos infinita fuerant ubique Templa antequam Vitruvius nasceretur. Quam diversa a Vitruvianis fuerint Vetustiorum Templa, e Plutarcho intelligere obvium est in Libro de Iside & Osiride, ex Luciano etiam *de Dea Syria*, ex Apulejo *de Deo Socratis*; ex Calmeti *de Templis Veterum* Dissertatione; atque ex Hospiniano, ubi de Templis agit Babyloniorum, Ægyptiorum, Græcorum, atque Romanorum, de quibus Libro I. Capite 5. commodum etiam addit: *Non jam Vitruvii de construendis Templis præcepta semper Ethnici observabant.* Vitruvius ipse ita collocandas Numinum Imagines constituerat, si nulla obstasset ratio, Ædisque potestas libera fuisset: & ex eodem novimus, formas Templorum, suo tempore, Doricas, Jonicas, Corinthiacas, alteriusque generis fuisse · quemadmodum revera in Numismatibus comparet: nec non ex Luciano Templum Syriæ Deæ ita describente: *Species est, atque illo opere, QUALIA IN JONIA TEMPLA ÆDIFICANT.* οἷοι νηὸς ἐν Ἰωνίῃ ποιέουσι, ubi Statuas Deorum non modo circum undique in Templo collocatas dicit, ac donaria, media sub testudine Templi, sive sub tholo; verum & præcipuorum Simulacra Numinum, Jovis nempe, Junonis &c. in thalamo, sive in interiori sanctiorique Ædis sacræ recessu, erecta tradit & culta: non aliter ac Tertullianus, Libro adversus Valentinianos Capite I. de Cereris Mysteriis ac Templo scribens, *TOTA IN ADYTIS DIVINITAS*,

inque-

inquiebat. Sunt, qui Veterum dicta de Simulacris Numinum *in medio Templi* collocatis, ita interpretantur, ut non in Templi centro illa fuerint, sed in medio τῦ ἁγίυ, nempe Sanctuarii: quemadmodum nos altare *in medio Ecclesiæ*, positum ac videri dicere solemus: quod tamen non in Ecclesiæ centro, sed in medio Bematis esse intelligimus. Illud certum est, diversis in regionibus, diversisque eadem in regione Diis, Templa fuisse diversæ Architectonices constructa: sed illud certius, nil a mortalibus umquam fuisse neglectum magis, legibus Architectonicæ. Omnia fere semper inverso facta sunt ordine. Perviæ ubique sunt felicissimæ terrarum plagæ, ubi suaves auræ spirant, seque se offerunt amœnissimi conspectus: nos infelicissimis in locis Urbes plerumque ædificavimus. Ornari Conclavia mediocribus saltem Picturis possent, quæ aut suavem foverent pietatem, aut animos innocenti jucundaque objectorum dulcedine exhilararent, nos ea decoramus figuris atque Tabulis, quæ vel Sinica & Japonica hominum monstra, vel incendia, aut naufragia, aut horrida bella, cædesque ac mortes repræsentent: deinde vero de infelicitate, perpetuisque incommodis conditionis humanæ lamentamur.

Demus tandem, Veterum aliquot loca de centro Templi intelligi oportere, & altaria, vel supra, vel circum, vel in se, Imagines Deorum habuisse: num inde inferre fas erit, eas non fuisse nisi Signa & Simulacra? num Vitruvianas leges non potuisse cum pictis Imaginibus componi? Haud reor certe. Nam ut prætereamus adductum jam Capite hujus Dissertatio-

tationis VIII. Aristidæ locum, qui *PICTURAS IN MEDIIS TEMPLIS* ἐν μέσοις τοῖς ἱεροῖς conspici coæque suo tempore dolebat, quæ sanctitatem Numinum minime decerent: augustum celeberrimumque Virginis Vicensis visitur in Subalpinis Templum, quod tertio Monregalensi ab Urbe lapide, mirabili opere consurgit. Ellipticam immensa moles habet formam, quæ tholum ejusdem figuræ, sustinet immensum; Ædisque in medio ac vere centro stat Deiparæ Imago, quæ, non Simulacro, SED COLORIBUS EXPRESSA, PILÆQUE APPICTA EST, ad quam adposita ara columnis pretiosissimis circumdata, quæ Apside collectæ, Ædis Sacrarium constituunt. Hoc cancelli ita circumsistunt ambiuntque, ut quam Vitruvianis ex legibus, exque Archæologia Romana & Græca habemus Architectonicen Templorum, eo uno in loco tibi videre videaris Nihil Signis ac Picturis, quibus ornatur Sacra Ædes elegantius, nihil, quod ad pietatem & fervorem simul & admirationem, sacramque moveat ad jucunditatem eos, qui remotissimis etiam e regionibus Virginem salutatum veniunt, aptius potuit excogitari. Ceterum Græci recentiores numquam a nobis postulaverint, difficultatem ut solvamus e loco ubi Picturæ Numinum, quo colerentur, collocari potuissent, derivata, quum suas ipsi Imagines sacras in Ecclesiis colant, haud Latinarum instar Imaginum super altaribus erectas, sed *AD TABULATUM ILLUD, QUO BEMA A RELIQUA ECCLESIÆ PARTE* DISJUNGITUR, appensas, ut eorum ex Euchologiis patet, ac in Epistola de hodierno Ecclesiæ Græcæ statu Thomas Smithius describit.

Nihil

Nihil obstat vero dictum: *Templi nulla ratio, in quo non comparet SIMULACRUM.* Protulit illud Actione I. Nicænæ Synodi Gregorius Pessinuntium Episcopus ex Isidoro Pelusiota, quod propterea nec adductum fuit, nec adduci in confirmationem aut potest, aut debet, Simulacri in Templo semper adorati: neque enim de sacris Statuis agebant Nicæni Patres, sed de Imaginibus sactis tantummodo depictis. Immo, si Nicænos juxta Patres nulla habenda fuisset ratio Templi, in quo non adesset Simulacrum, nostra potius, quam Græcorum, commendanda foret consuetudo. Non fuit ille tamen sensus Gregorii, & Pelusiotæ; sed magis, ut in Latina Concilii interpretatione legitur: *Templi nulla ratio, quod Imagine non ornatur.* Quemadmodum enim vox *Imago* ad effigiem cujuscumque materiæ & formæ extenditur; ita etiam nomen ἄγαλμα, quod in præsens significando Simulacro usurpatur, quamcumque olim effigiem denotabat, ut ex Hesychio, Suida, Phavorino, & Magno Etymologico, Suicerus ad vocem hanc in Lexico ostendit. Quamvis enim postea εἴδωλα Diis, ζόανα Heroibus, ἀνδριάντες Regibus, Sapientibus εἰκέλα, Viris illustribus βρέτα, erigi dicta fuerint, ut Priorius adnotat ad Librum VI. Arnobii adversus Gentes: antequam tamen diversa hæc nomina diverso Imaginum generi diversis ex etymis Grammatici fixissent, usuque & consuetudine sermonis illishæsissent, dubitandum non est, voces ἄγαλμα, εἴδωλον, ἵδρυμα, εἰκών, ὁμοίωμα, similesque plurimas, fuisse promiscue a Scriptoribus Græcis usurpatas, ut Imagines cujuscumque generis ac materiæ denotarent,

quemadmodum Julius Cæsar Bulengerus Libro I. Capp. 1. & 18. *de Pictura Veterum*, apertissimis ipsorum testimoniis evincit. Scripsere περὶ ἀγαλμάτων Porphyrius, & Jamblichus, diversissima tamen significatione, diversoque sensu, ut patet ex Operum ejusmodi Excerptis, primi apud Eusebium Libro III. de Præparatione Evangelica Capite 7. alterius in Bibliotheca Photii Codice CCXV. Quærebat autem Maximus Tyrius Dissertatione XXXVIII. utrum dicanda Diis essent ἀγάλματα Simulacra? quam ad Dissertationem Heinsius in Adnotationibus animadvertit, fore ut ii errarent, qui tali in Disputatione τὸ ἄγαλμα nihil aliud putarent esse, quam ἀνθρωπόμορφον ἀπεικόνισμα, Statuam viri, aut mulieris figuram & formam, vel Numinis habentem, sed Auctorem intellexisse Signum omne visibile ita constitutum, ut ad Deos, videri qui non poterant, mentem tolleret ac excitaret: sicut revera Lector quisque intelligit, dum Maximus tot ἀγάλματα proponit, quæ, quum Simulacra Deûm dicerentur, Statuæ tamen haud erant, sed picta tantummodo, vel sculpta, Deorum emblemata ac symbola. Sic ignem in Persarum Pyræis ἄγαλμα ἐφήμερον vocavit, & Ancilia, ἀγάλματα διοπετῆ, ad Caput Isaiæ XLIV. Procopius. Imagines autem pictas eo nomine expressas fuisse certissimum est: quum Clemens Alexandrinus, ut vidimus, ea ratione, qua γλυπτὸν, & χωνευτὸν, ac πλαστὸν, ita γραπτὸν, cultum adoratumque ab Ethnicis fuisse ἄγαλμα, tam clare scripserit. Plutarchus etiam in Vita Arati, pictam Aristarchi Imaginem, ἄγαλμα vocavit. Et in Florilegio variorum Epigrammatum, quod Tomo II.

addi-

additur Carminibus Græcorum Poetarum Libro ejusdem Florilegii IV. Capite 12. Juliani Cæsaris Epigramma legitur, εἰς ἄγαλμα Ἄρεος καὶ Ἀφροδίτης, quod ad Martis tamen, Venerisque pictas Imagines referebatur, ita quippe incipit:

Martem & Venerem PICTOR in medio domus
Circumplex DEPINXIT ambos &c.
Ἄρεα καὶ παφίην ὁ ζωγράφος ἐς μέσον οἴκου
Ἀμφιπεριπλέγδην γέγραφεν ἀμφοτέρους.

Capite vero 12. ejusdem Libri, Palladæ cujusdam aliud exstat Epigramma εἰς Νίκης ἄγαλματα, quæ Picturæ solum erant. Sexcenta prostant apud Græcos Scriptores similia: quare Suidas in Lexico, ubi de voce illa agit, scripserit: *Græci, uti Statuas, ita etiam Picturas vocant SIMULACRA.* Ἀγάλματα δὲ καὶ τὰς γραφὰς, καὶ τοὺς ἀνδριάντας λέγουσι. Jamque Capite hujus Commentarii III. Exegetas exscripsimus, adnotantes, Picturæ Opera fuisse SCULPTURAS dicta, propterea quod Pictores variis coloribus, nunc albicantibus & claris, nunc nigricantibus obscurisque, ipsam quasi rem exsculpserint, indeque IDOLA QUÆLIBET, etiam expicta dumtaxat, fuisse SCULPTILIA in Scripturis appellata. Novissime Johannes Lamius in Ephemeridibus Literariis A. MDCCLXVII. N. XXIX. p. 452. testimoniis tutissimis evincit, medio quoque ævo, SCULPTILIA ET SCULPTURAS ea dicta fuisse, quæ vel coloribus tantum, vel anaglyphico & nil protuberante opere fuerant expressa; quare consequi jure possumus, nedum Pelusiotas effa-

tum: ναοῦ λόγος οὐδεὶς, ὃς οὐ σέφει ἄγαλμα, nullam inferre necessario in Templis Ethnicorum Statuam, verum etiam haud pauca Gentilium ἀγάλματα, & a profanis, & a sacris, Ecclesiasticisque Scriptoribus laudata, pro postera vocis determinatione, receptoque usu, Statuas & Simulacra credita fuisse, quæ revera tamen, nisi pictæ Deorum Heroumque Effigies fortasse non fuere unde auctus in mente nostra Statuarum numerus, census vero Imaginum pictarum imminutus.

Idem dicendum de voce SIMULACRUM. Tullius Libro de Inventione II. *Zeuxis & ceteras complures Tabulas pinxit, & Helenæ se pingere SIMULACRUM velle dixit.* Oratione pro Archia: *Statuæ & Imagines non animorum SIMULACRA sunt, sed corporum.* Epistola vero LXVIII. *Artifices corporis SIMULACRA ignotis nota faciebant.* Vitruvius æque Imagines pictas SIMULACRORUM nomine significabat Libro de Architectura VII. Capite 5. scribens. *PINGUNTUR portus, promontoria, littora, flumina. Videmus item nonnullis locis SIGNORUM melographiam habentem Deorum SIMULACRA, seu fabularum dispositas significationes, non minus Trojanas pugnas &c.* Melographiam SIGNORUM, melographiam habentem Deorum SIMULACRA, picturam magni sumptus, ac magnarum Personarum, uti Deorum figuratricem, interpretatur Vitruviano in Lexico Bernardinus Baldus, grandium & magnificarum PICTURAM rerum, Adnotationibus suis in Spartianum Salmasius, & in Italica interpretatione sua, *IMMAGINI DI DEI* Berardus Galianus, qui addit *Melogra-*

lografie: *PITTURE di Mitologia e di Storia*. Dum itaque præcepit Vitruvius, ita SIGNA ET SIMULACRA DEORUM in Templis collocari, ut exorientia supplicanti viderentur, id, pro ipsius scribendi ratione, de Imaginibus Deorum etiam pictis nil prohibet intelligi ac interpretari. Nam & Ovidius Libro Metamorphoseon III. Imagines pictas SIGNORUM nomine donavit:

Sic ubi tolluntur festis Aulæa Theatris
Surgere SIGNA solent, primumque ostendere vultus,
Cetera paullatim placidoque educta tenore
Tota patent, imoque pedes in margine ponunt:

Quin & textorio expressæ opere Imagines SIGNA dictæ a Virgilio, Libro Æneidos I. ubi de suo Heroe:

Ferre jubet pallam SIGNIS auroque rigentem,

Peplum videlicet, Imaginibus auro textis ornatum. Effigies autem cujuscumque materiæ ideo SIMULACRA Latini appellabant, quia, ut dicebamus, sive sculptæ, sive pictæ ipsæ forent, formam figuramque objecti simulabant, sive assimilabant, easque ignotis notas faciebant. proinde Tertullianus in Libro de Idolatria: *Moyses in Eremo SIMULACRUM Serpentis ex ære fecit*. Et adversus Valentinianos Capite I. de Adytis loquens ac Mysteriis Eleusiniis: *SIMULACRUM membri virilis revelatur*. Sic ea, quæ Clemens Alexandrinus, Eusebius, Plutarchus, de primis Romanis scripserant, apud eos scilicet ἄγαλμα οὐδὲν,

ὅτι

ἤτοι πλαστὸν, ἤτοι μὲν γραπτὸν, ἤτοι γλυπτὸν, ἤτοι χωνευτὸν, nullam fuisse vel sculptam, vel pictam, vel fictam, vel ad prototypum aliquod imaginem assimilatam, Varro apud Divum Augustinum Libro IV. de Civitate Dei Capite 31. pro vocis proprietate uno nomine expressit, nempe: *Deos SINE SIMULACRO coluisse*. Sic & Tertullianus, idem significare volens in Apologetico, Capite 25. inquiebat: *Nondum SIMULACRIS res divina apud Romanos constabat*. Nec aliter Tacitus de Judæis Libro Historiarum V. *Nulla SIMULACRA eorum Urbibus, nedum Templis*. Observatu digna sunt Dionis verba Libro LXIX. de sacris honoribus scribentis, quos Hadrianus tribuit Antinoo. *Statuasque ei, vel potius SIMULACRA, in omni fere terrarum Orbe consecravit.* ἐκείνῳ ἀνδριάντας ἐν πάσῃ ὡς εἰπεῖν οἰκουμένῃ, μᾶλλον δὲ ἀγάλματα ἀνέθηκεν. Cujus interpretationem discriminis ac dicti accipito apertissime e Suetonio in Vita Cæsaris Capite 76. *Statuam inter Reges, SIMULACRA juxta Deos*, quia enim tamquam Deum, vel Heroem saltem, Antinoum coli optabat Hadrianus, non Statuas modo, verum etiam SIMULACRA eidem erigi curavit: ex quibus manifeste effluit, SIMULACRI nomen ad sacram aliquando Imaginum Deorum Heroumque dignitatem, sive ad ipsarum cultum magis, quam ad earumdem materiam & formam & artem denotandam, pro Gentilium usu, fuisse usurpatum.

Intelliget heic quisque cur in Versione Latina Novi Testamenti, nec non in Apostolicorum scriptis Patrum, immo apud Patres ipsos Latinos, & in Co-

dice

dice Theodosiano, similibusque antiquis monumentis, tam frequens de SIMULACRIS Numinum fiat mentio, minus autem frequenter imagines pictæ memorentur: quia nempe de Imaginibus Deorum dicebatur, opinione ac usu Gentilium, consecratis & cultis, quæ proinde cujuscumque Artis ac materiæ forent, pro recepto tamen dicendi more, SIMULACRA appellabantur. Quamvis enim Sacræ Novi Testamenti Literæ aliquando *εἰκόνα imaginem*, aliquandu *ὁμοίωσιν similitudinem*, sæpius autem *εἴδωλον Idolum*, & *σεβάσματα*, & similia nomina usurpent, quæ Syriaco atque Æthiopico ab Interprete pressius explicari videntur ac reddi: laudanda nihilominus est Interpretis vulgati diligentia voces illas fere semper SIMULACRI nomine exhibentis, quia respectu cujuscumque generis ac artis imaginum cultarum ita usus postulabat. In eo decipimur frequenter, quod Veterum dicendi modos ad hodiernam intelligendi rationem accommodamus. Sic dum & in Novo Testamento, & apud profanos atque Ecclesiasticos Scriptores τὰ ξύλα, & τὰ ξύλινα memorantur, agi credimus de ligneis Deorum Statuis, quum tamen ea verba non significarent nisi Imagines in ligno solis coloribus expressas; quia Græci Romanique Pictores usum pingendi in linteis prorsus ignorantes, antequam se Nero Princeps pingi in iis jusserit, suos credere labores LIGNEIS TABULIS consueverant, uti fuse Menardus, Maffejus, Belgradus, Abbas de Guasco, aliique sexcenti ostenderunt.

Id Controversia Iconoclastica confirmat. Toti erant Iconomachi in Imaginibus *ex ligno* oppugnandis, ut innu-

innumera eorum testimonia ostendunt: ex opposito tori Orthodoxi erant ut sacra τὰ ξύλα propugnarent, quum tamen Statuas ligneas certe nec haberent, neque colerent: propterea *ligneæ imagines* erant sacræ Effigies ligneis in Tabulis penicillo concinnatæ. Cur itaque ejusmodi esse non potuere τὰ ξύλα Ethnicorum? Eadem rursus Iconoclastica Controversia fundamentum nobis suppeditat ad alium scrupulum eximendum, quo quis ex vocibus ἀνάθημα, ἀνάκειται, ἀνατίθεσαι, similibusque, quibus utebantur Veteres in pictis Deorum Tabulis erigendis dedicandisque, in suspicionem rapi posset, eas nisi anathemata sive donaria non fuisse. Equidem fateor haud idem ponendum, aliquid vel dedicatum, vel consecratum, vel publico cultui propositum fuisse, sed ex quo ἀνάκειται ac ἀνατίθεσαι aliquando solam dedicationem denoraverint, publicique usus inchoationem, vel in donarium consecrari; ita pro subjecta, ut ita dixerim, materia sæpe quoque eam significabat erectionem, qua Imago cultui proponebatur ac adorationi. Num enim pictæ imagines Antinoi, quas Dione teste Hadrianus ἀνέθηκεν, aliqua erant donaria? Minime sane gentium, sed ita erectæ ut colerentur. Vir maximus, Petavius, tum Adnotationibus in Præfationem Epiphanii ad Panarium, tum in Miscellaneis Exercitationibus ad Julianum Capite XIII. tum demum Libro XV. de Incarnatione Capite 14. claris evincit testimoniis ἀνάθημα, idem habitum sæpenumero fuisse ac στήλη, & ἀνατίθεσαι idem ac ἀναστηλῶσαι, ideoque verba illa proprie referenda esse ad pictas Tabulas propalam suspensas & erectas, cultuique publico

exhi-

exhibitas, STELASQUE ET COLUMELLAS denotasse, quibus appingebantur, vel appendebantur Imagines, populo propositæ ad colendum. Nihil revera in Elucubrationibus ac Synodis Græcorum, quæ ad Iconoclasticam Controversiam spectabant, frequentius vocibus ἀναστηλοῦν, ἀναστηλῶσαι, ἀναστηλογραφεῖν, στηλογραφεῖν, ἀνάκειται, ἀναθέντες, ἀναθέντων, ἀνακείμενον, κ. τ. λ. ad sacras Imagines propositas cultui fidelium significandas: proindeque quum eadem dicendi ratione usi fuerint Strabo, Lucianus, Pausanias, Athenæus, Dio, Herodianus, de pictis Deorum Heroumque Tabulis scribentes, eas non donaria fuisse, vel ad solum ornatum erectas denotare voluerunt, sed potius sacris ac publicis in locis, veluti Simulacra Numinum colenda, pro Gentilium moribus, fuisse collocatas.



CAPUT XIV.

Cur Græci recentiores adeo sint a Sacris Statuis alieni.

JObus Ludolphus in Commentario ad Historiam suam Æthiopicam Libro III. Capite 6. Num. 52. de pluribus agens ritibus, qui a Judæis ad Christianos migravere, scripsit: *Differentiam inter Imagines solidas atque cælatas, seu ex quacumque materia sculptas, & inter pictas ac vestibus intextas, aut alio modo planas, cujusmodi Orientales habent, jam olim apud Judæos fuit observata.* Ex quibus eo loci ita enunciatis docere velle videtur, recentiores Græcos suum adversus Latinorum Statuas derivasse a Judæis odium. Nil tamen crediderim a veritate alienum magis. Haud diffiteor, recentiores aliquos Judæorum Magistros distinxisse inter protuberantes Effigies atque Simulacra, Effigiesque planas ac pictas, vel opere textorio elaboratas. At ejusmodi distinctio numquam apud ejusmodi Judæos respexit cultum, sed solum quales facere ipsis Imagines fas esset, domique retinere, citra quemcumque tamen cultum omnes, sive sculptæ, sive coloribus expressæ fuerint, sive magis protuberantes, sive minus. Nec eadem vero fuisse semper videtur Hebræorum mens ac agendi ratio erga imagines profanas, vel artificia, quæ eas exhiberent. Magnifica peristromata ab ipsis in Deserto facta memoravit Moyses, phrygiæque ac occellatæ vestes, variis intertextionibus segmentisque diversorum colo-

rum

rum laboratæ, vel plumario ornatæ opere, vel, ut vertit Chaldæus: *INDUMENTA VARIARUM FIGURARUM*, Græce: ποικιλμένη, celebrantur in Psalmis. Legimus Libro Regum IV. Capite 24. Nabuchodonosorrem in eversione Hierosolymorum ea sola ex Urbe transtulisse *ARTIFICES ET CLUSORES MILLE*, qui in opere scilicet phrygio & acu picto versabantur. Eam didicerint opus est Græci artem in Ægypto, quæ quantum in vestibus intexendis, variisque formis ac figuris, multis coloribus, in tapetibus, effigiandis valeret, jam satis superiore loco diximus. Nec minori varietate, nec paucioribus, aut minus expressis, minusque mirandis figurarum imitationibus, in vestibus contexendis lusisse Babylonios, apud quos fuere postea Hebræi, sola texturæ ratione, & connexione staminis ad subtemen, quam qui acu pingerent, alicubi Martialis monuit, dum dixit, Semiramiam acum Babylonis pectine fuisse victam:

Babylonica picta superbe
Texta Semiramia, quæ variantur acu.

Hebræos certe, & ante, & post Babylonicam Captivitatem ingenuas coluisse disciplinas, earumque laude celebres & claros per totum fuisse Orientem, nemo dubitaverit; præsertim vero quantum in *Polymitaria* floruerint, late ostendit Wormius Libro II. de corruptis Antiquitatum Hebræarum apud Tacitum & Martialem vestigiis Capite 10. Sunt qui ea Judæorum artificia inanimatas ad res, & ad animalium monstra, totumque ad Picturæ genus, quod *Grottefcam*

NN 2 appel-

appellamus, ne ad idololatriæ usum adhiberentur, restringunt; quare Cynocephalos, Sphinges, Sirenas, Chymæram, & similia tapetibus suis tantummodo intexuerint: quasi vero imagines hæ idololatricum ad cultum non spectassent. Chymæra certe, pro Mythologiæ fabulis, in Gentilium Sacris admittebatur, ab Homero non tantum ac Laertio descripta, sed in nummis quoque Corinthiorum & Setphiorum insculpta. In nummis autem Gentilium eas plurimum insculpi solitas fuisse imagines, quæ in Templis Deorum visebantur, antiquarum Interpretes rerum non semel animadverterunt; plurimque reliqua adhuc in Museis sunt imagines illius Simulacra. Apuleius Libro Metamorphoseon IX. Imitationem in Mysteriis describens: *Jussus*, inquit, *superstitî, byssina quidem, sed floride depicta veste conspicuus, quaqua tamen viseres colore vario circumnotatis animalibus. Hinc DRACONES INDICI, INDE GRYPHES HYPERBOREI, QUOS IN SPECIEM PINNATÆ ALITIS GENERAT MUNDUS ALTER. Hanc Olympicam stolam Sacrati nuncupant.* Nonne tibi videre videris Claudiani illa:

> *Et quidquid inane*
> *Nutrit JUDAICIS quæ pinguntur India velis?*

Quæ ut explicarent, varia excogitaverunt Grotius, Seldenus, Hottingerus, Spanhemius, Witsius, Basnagius, similesque, heic non exscribenda. Certum est, in ipsa domo Davidis fuisse Statuam, quam Michol in lecto collocarat, Aristobulumque & Mariamnem fusti-

sustinuisse depingi, atque eorum imagines, Gellii monitu, ab Alexandria fuisse Antonio missas, ut Flavius Josephus narrat Libro Antiquitatum XV. Capite 2. Nec minus certum, in Agrippæ palatio Statuas filiarum ejus fuisse, ac Judæos in Italia degentes habere domi pictas ad ornatum Tabulas, ut Buxtorfius, ac Leo Mutinensis concedunt. Maimonides Libro de Idololatria Capite VII. Num. 8. ita statuebat: *Imagines a Gentilibus ornatus caussa factæ, LICITÆ SUNT ad quæstum: prohibitæ vero, quæ CULTUS ERGO fabricatæ sunt. Quemadmodum & omnes Imagines in pagis repertæ, sunt ad quæstum illicitæ, quia solent eæ ad cultum fieri. Quæ vero inveniuntur Urbium portis impositæ, si in manu fuerit forma virgæ, vel avis, vel pilæ, vel gladii, vel coronæ, vel annuli: arguuntur eo ad cultum factæ, propterea illicitæ sunt ad quæstum. Sin minus, colliguur ornatus caussa factas, eaque sunt licitæ.* Illustrat hæc omnia Dionysius Vossius in Adnotationibus ad hunc locum, uberius confirmans, Judæos IDOLUM a simplici imagine solo fine distinxisse, adeo ut solus cultus IDOLUM faciat, & Imago quæcumque, sive sculpta, sive picta, licita ipsis generatim sit, modo suspicio ac periculum extranei cultus absint: quare quidquid adversus civilem earum usum ab aliquibus Judæorum Magistris præscriptum reperitur, vel ex severiori Pharisæorum disciplina, vel ad removendum periculum & scandalum, vel pro ingeniorum, seculorumque, VEL RERUM MAGIS DISCRIMINE præscriptum aut simulatum crediderim fuisse, quemadmodum doctissimus Collega etiam meus, Regio in Athenæo Sacrorum Biblio-

Bibliorum Interpres, Johannes Franciscus Marchinius arbitratus est. Nullus itaque poni nexus potest has inter Judaicas Quæstiones ac recentiorum odium Græcorum in Statuas a Latinis cultas, quippequod discrimen ab istis observatum, non pingendi sculpendique Artes, vel Imaginum civilem usum ac ornatum, sed cultum earum proprie respiciat: præeuntibus autem Judæis non omnem modo Statuarum cultum rejicere deberent Græci, sed æque cultum Imaginum pictarum, quum ab hoc haud minus quam ab illo alienissimi fuerint post Christi tempora Judæi.

Adeo immo abest, ut Græci discrimen illud Imagines inter pictas & protuberantes, Statuasque, mutuati a Judæis fuerint, præcipue quod pertinet ad cultum, ut Græci plurimi sacrarum Imaginum cultus vindices, qui Leonis Isaurici exordia tradiderunt, hunc Judæorum impulsu actum dixerint ad movendum bellum pictis ipsis Imaginibus, quemadmodum legere est in Epistola ad Theophilum Antiochenum Johanni Damasceno perperam afferta; etiamsi in Adnotationibus ad illam candide ac sincere Lequienus noster fateatur, ea omnia sublestæ esse fidei: quandoquidem Leo anno imperii sexto Judæos pessime vexaverit; neque ab ipsis, sed a Syro quodam, nomine *Beser*, qui a Christiana fide ad Arabes defecerat, inductus fuerit, ut Imagines etiam pictas aboleret: dum interim Izid Calipha, instigante Judæo, idem in Oriente fieri curaret. Si notissimum tamen vulgatissimumque Judæorum odium in cultum Imaginum cujuscumque Artis atque formæ in caussa fuit cur Græci ipsis tribuerint quidquid Isauricus Leo in Imagines sacras

perpe-

perpetravit, cogita an aliquo umquam tempore Græci Judæos pati potuerint discriminis inter Statuas & Imagines Sanctorum pictas Præceptores ac Duces.

Aliam proposuit odii Græcorum in Statuas sacras caussam Vir doctissimus, qui Commentatioli hujus Excerptum concinnavit. Nam quum illum ante sexdecim annos levi conscripsissem calamo, ut Sodali meo morem gererem, qui quum plures annos Constantinopoli & in Oriente egisset, non avestationis Græcorum modo in Simulacra sacra me certiorem fecit; verum etiam criminationis, qua nos, ob eorum cultum, idololatriæ crimine condemnant propterea & postulasset ut aliquid eo de argumento scriptitarem: dicere vix possum quanta raptus fuerim admiratione tum quum Elucubratiunculam sodalis amicitiæ consecratam, doctissimis ab Ephemeridographis, Bibliographisque etiam viderem modica non sine laude recensitam: quam omnem eorum deberi humanitati sincerissime profiteor. Fuit id in caussa, cur superioribus Autumnalibus feriis arrepta temporis ab Exercitationibus Scholasticis liberi occasione de Opusculo retractando cogitaverim: quod ita præstandum duxi, ut ea, quæ descripta jam fuerant, curis secundis subjicerem, in examen universa revocarem, nonnulla in iis mutans, alia corrigens, alia delens, quæque uberiori indigebant luce ita aliquibus accessionibus locupletans, ut retento prioris Editionis ordine, prope diversa, heicque & inde nova fere facie comparerent. Ita igitur Cl. Arnaldus in suo *Journal Etranger*, *Mars MDCCLXII. Article IX.* post ea, quæ scripseram, summa fide, ac favore nimio,

ex-

expressa, prosequutus est : *C'est moins dans l'ignorance des Grecs, & dans leurs haines pour les Latins, qu'il faut chercher la raison pour laquelle le culte des Statues leur fut defendu, que dans la vivacité de leur imagination, & dans les circonstances où ils se trouvoient. Les Peintures ne représentent que les surfaces, & les Bas reliefs n'offrent que quelques-unes des portions de leur sujet. Ce ne sont là que des représentations partielles, qui, malgré tout l'art de leurs Auteurs, ne peuvent exposer le Spectateur, quoique sensible qu'on le suppose, à les confondre avec la chose représentée. Il n'est pas de même de la Statue ; comme elle représente pleinement, & en tout sens toutes les formes, toutes les parties de son objet, l'image de la chose peut alors se présenter comme la chose même, sur-tout chez un Peuple assez sensible pour prêter aux Statues la seule chose qui leur manquoit, le mouvement & la vie. Il étoit donc à craindre qu'en proposant les Statues à la vénération des Grecs, leur culte ne s'arrêtât tout entière au Simulacre. D'ailleurs, quoique LES GENTILS RENDISSENT LES MEMES HOMMAGES AUX PEINTURES ET AUX STATUES DE LEURS DIVINITES, cependant comme la Grèce, féconde en Sculpteurs, dont les Ouvrages étoient autant de chef-d'œuvres, n'avoit eu qu'un très-petit nombre de Peintres habiles, il n'est pas douteux que le culte des Statues n'eut été plus commun, & n'eut fait par conséquent une impression plus vive & plus universelle. Il falloit donc bien se garder de rappeller aux Grecs les Objets principaux & encore subsistans de l'idolatrie de leurs Ancêtres.* Hæc

Vir

Vir præclarissimus, qui addit, recte a nobis animadversum, longe remotos fuisse ab ejusmodi periculo Latinos, ceu qui sacras Statuas eo demum temporis in Ecclesiam induxerint, quo ne quidem an Gentilium Simulacra umquam exstitissent, & quomodo fuissent constructa, noverant, aut cogitabant.

Clarissimi tamen pace Viri, est quod meditationi, qua Opusculum meum decoravit, aliquid adjiciam. Primum enim quod de viva Græcorum imaginandi vi, deque eorum sensus præstantia, sive, ut dicimus, sensibilitate heic differit, vereor ne illationi ipsius adversetur. Nam quanto magis illis dotibus aliqua Gens præstat, tanto minus a similitudine debet decipi, quam cum Viventibus Repræsentatio, sive Statuæ habent atque Simulacra. Jam Capite VI. animadvertimus e Tullio, consilium quondam fuisse Sapientum, *quo facilius animos IMPERITORUM ad Deorum cultum a vitæ pravitate converterent, aut superstitione, UT ESSENT SIMULACRA voluerunt, quæ venerantes, Deos ipsos se adire crederent.* Adjecimus ex Arnobio: *PROPTER INDOMITUM ATQUE IMPERITUM VULGUS, Sapientes salutariter consilioque SIMULACRA formasse, ut velut quadam specie objecti his Numinum, abjiceret asperitatem metu: arbitratumque se præsentibus sub Diis agere, facta impia deponeret, & ad humana officia morum mutatione transiret.* Quo igitur magis rudis, ac imperitus magis, concipitur Spectator, eo magis sensibiliori objecto indiget, quo moveatur; & quo novum magis ac magis sensibile objectum erit, eo majorem in eo excitabit admirationem: quod illis, qui nullam adhuc

 vide-

viderant tecte efformatam Statuam, contigisse refert Oratione XV. Themistius scribens *Ubi Dædalus Simulacrorum pedes distinxit, viva & spirantia fabricare creditus est.* Δαίδαλος δὲ ἐπειδὲ πρῶτος διήγαγε τὼ πόδε τῶν ἀγαλμάτων, ἔμπνοα δημιουργεῖν ἐνομίσθη. Sic videmus pueros nondum judicare aptos, dum Neuropasta, Imagunculas, Plagunculas, mobilesque vident catenationes, viventia veluti videre sibi videri, quum ex opposito statim atque aliquo pollent acumine intellectus, jam non dubitent nil aliud ea esse, quam ligneolas hominum figuras a circulatore actas atque motas. Sic puerula quæ primis annis plangones pupasque suas vivere credebat, puerilium ætate progressa, eas nil aliud esse intelligit, quam imagines ex pannis consutis confectas. Quum itaque Græci, dum sacras Imagines sibi colendas proposuere, non modo barbari non essent; sed immo acie ingenii, cogitandique vi plurimum, valerent, profanasque Statuas infinito numero videre soliti, nil humani eas in se continere nossent perfectissime, certissimeque judicarent, haud video quodnam idololatriæ aut erroris imminens periculum fuisset, si aliquas etiam sibi proposuissent ad colendum sacras Statuas; quippequod, sejuncta consecratione ac superstitione, solaque ratione *Sculptilis* posita & considerata, nil magis præcon-cipere in istis debuissent, quam in Statuis profanis ac Picturis: superstitione autem actu aut consecratione, eadem fere fuerit Picturarum ratio atque Statuarum, ut partim vidimus, partim uberiusque sequenti Capite ostendemus.

Ad

Ad hæc, in Viri doctissimi meditatione videntur duo diversissima permisceri & confundi, mos scilicet, ritusque Græcorum abstinendi a Sacris Statuis, cum ipsorum odio adversus Simulacra sacra Latinorum, & cum Idololatriæ nota, qua eorum cultum in nostris partibus inurunt. Quod enim olim solis Picturis sacris contenti Græci fuerint, quodque numquam in Religionis cultu Statuas admiserint, prudentissimæ agendi rationi asserunt Cordati inter nostros quique, immo, ut videbimus, laudibus ornant ac celebrant. At odium, quo recentiores Græci in Latinorum Statuas aguntur, quomodo prudentiæ tribuetur, aut rectæ agendi œconomiæ, aut curæ non revocandi in suorum animos & oculos objecta profani cultus ac Gentilium Statuarum? Si Nostri eo ætatis, quo sacræ Imagines inductæ primum sunt, Simulacra dedicassent, Græcorum querelæ tribui zelo potuissent, timorique ne nimium inter nos, Ethnicosque conveniret. Sed quum, ipso Ephimeridographo fatente, tunc Statuas sacras induxerint Latini, quum ne quidem quomodo facta fuissent Ethnicorum Simulacra Nostri nossent, aut de illis cogitarent, cur nos idololatricæ imitationis postulare pergunt Græci? Ut igitur horum ritus, & usus, abstinentiaque a Simulacris, rectæ tribui disciplinæ debent. ita odium in Statuas nostras tribui nisi odio non potest, quo aguntur in quidquid proprium est ritus, ac moris Latinorum.

Dissensionum semina Latinos inter & Græcos jecit Concilium Trullanum, creveruntque odia sub Photio, sed apertum res tandem erupit in schisma sub Mi-

OO 2 chaele

chaele Cærulario, quod facrarum fedium æmulatione & cauffa uti jam ortum & auctum, ita validius promotum eft, ut animadvertit Nicetas. Varios inter fovendæ feparationis prætextus actum jam undecimo a feculo de facris etiam Imaginibus, non ea tamen ratione ut Latinos venerationis Imaginum fculptarum poftularent Græci, fed potius propterea quod Latini facras Imagines non venerarentur, cujus fidem rei, pluribus omiffis monumentis, facit laudatus nofter Lequienus in Libro titulum habente: Panoplia contra Schifma Græcorum, Capite V. Seculi XI. de prætextibus agens, quibus fuum a Latinis difceffum Græci colorabant, fcribens: *Longe vero iftis omnibus eft iniquius accufationis Caput illud, quo Michael Cærularius Romanæ Ecclefiæ detrahere non dubitavit, puta apud eam NEC IMAGINES SACRAS, nec Sanctorum reliquias coli. Photium utique Patriarcham ille exfcribebat, qui fimile quidpiam Romanis impingere conatus erat in Opufculo, quod nondum lucem vidit, habeturque poft illius Amphilochia, feu Refponfiones ad Quæftiones Amphilochii Cyziceni, in Codice Bibliothecæ Colbertinæ*. Hoc tamen loco fas mihi fit Adverfarios meos a Viri celeberrimi nota vindicare, ut ita & moderationem in eos meam, & univerfa in Difquifitione candorem, animumque a partium ftudio alienum, legentibus valeam manifeftare. Agitur fcilicet de doctiffimo Montefquieu, qui in Libro: *Confidérations fur les caufes de la grandeur des Romains & de leur décadence*. Capite 22. hæc fcripfit: *On peut aifement croire que les Grecs tomberent dans l'Idolatrie. Voici mon raifonnement, on ne peut foupçonner*

pas

pas les Italiens, ni les Allemans de ce tems-là d'avoir été peu attachés au culte exterieur; cependant lorsque les Historiens Grecs parlent du mépris des premiers pour les Reliques & les Images, on diroit que ce sont nos Controversistes qui s'échauffent contre Calvin. Quand les Allemans passerent pour aller dans la Terre Sainte, Nicetas dit que les Armeniens les reçurent comme amis, parcequ'ils n'adoroient pas les Images: or si dans la maniere de penser des Grecs les Italiens & les Allemans ne rendoient pas assez de culte aux Images, quelle devoit être l'énormité du leur? Ita frequens evenit: sublimia dum ingenia ad res altissimas feruntur, se se ad minores demittere non possunt, perviaque aliquando & obvia gregalibus Scriptoribus non cernunt. Galli vero quos tempore Francisci I. in Italis invenerunt mores, tales ab Evandri fuisse ætate censent, futurosque ad extremam usque judicii diem, videntur credituri. Narrat Nicetas sane factum, quo de agitur, dum expeditionem Friderici Ænobarbi in Orientem circa A. MCLXXXVIII. sub Isaacio Angelo describens, his utitur verbis: *Alemanni & Armenii commercia inter se agitant, & in plerisque Dogmatibus consentiunt: nam apud utrosque sacrarum Imaginum cultus interdictus est.* Ἀρμενίοις γὰρ καὶ Ἀλαμανοῖς ἐπίσης ἡ ἁγίων εἰκόνων προσκύνησις ἀπηγόρευται. Idque ipsum narrat Abbas Urspergensis, qui se vixisse testatur post A. MCC. Quod tamen ignoro quomodo conciliari possit cum iis, quæ Crozæus narrat Libro IV. Historiæ Christianismi Æthiopiæ & Armeniæ, videlicet Armenios sacrarum cultum Imaginum Seculo X. a Græcis accepisse, Monacho Gre-

gotio

gorio Nareka id præcipue agente. Sed quocumque tandem modo affecti erga facras Imagines fuerint tunc Armeni, ignorari tamen haud deberet, Germanos, & Gallos, Italofque, qui eorum fubdebantur Imperio, maximam faltem partem, Francofurdenfi, ut inquiebant, Synodo diu adhæfiffe, cultumque rejeciffe Imaginum facrarum. Habuit & Occidens per illa tempora tum rigidiores, tum mitiores cultus facrarum Imaginum Ofores: quorum primi eas omnino removendas, alii admittendas quidem, fed ad inftitutionem folum, & memoriam, & exemplum, non autem facrum erigendas ad honorem contendebant. Nonne enim ea de cauffa Romani de Gallis aperte querebantur? Quam late vero tunc fe fe Gallorum nomen protulerit, dici vix poteft. Apud Orientales certe, Gallorum aliquando nomine, propterea quod reftauratum apud eos diceretur Occidentis Imperium, cuncti prope Occidentales cenfebantur. Quum itaque Germanici & Gallicani Præfules Nicænam admittere Synodum aliquando recufaffent, famaque ac traditione Græci intellexiffent, Synodum illam a maxima Occidentalium parte fuiffe olim oppugnatam, ob minus frequentia fequutis temporibus inter utramque Gentem, propter fchifma & odium, commercia, Latinos veteri perfeveraffe in errore exiftimaverunt Græci, non ætate modo Michaelis Cærularii, aut Nicetæ, fed ad ufque etiam tempora noftri Manuelis Calecæ, Patriarchæ CP. qui, inter Concilia Lugdunenfe & Conftantinenfe, fuum in Græcos fcribebat Opus, in cujus Parte IV. legimus: *Inde etiam Occidentalibus calumniam ftruunt Græci, IMAGINES ILLOS*

ILLOS NON VENERARI ASSERENTES, qui certe sacris Imaginibus plenas Ecclesias habent. In auras igitur abit Gallici Scriptoris, etiamsi doctissimi, animadversio: quippe veteres illæ Græcorum de Latinis querelæ, quod hi sacras Imagines non colerent, facto revera, quod ad majorem spectabat Occidentalium partem, aliquando assentiebantur, deinde Græcorum ignorantiæ, posteriorum respectu Latinorum; alieno demum illius Gentis in Latinos animo, ac ut colores tuendi schismatis augerent; numquam tamen quod Græci aliquando lapsi sint in facinus idololatriæ.

Etsi vero is olim fuerit rerum status, ut magna Occidentalium pars haud recte fuerit in Synodum illam Nicænam animata, prævaluit demum tamen, apud Latinos etiam, Nicænorum Patrum ac Romanorum Pontificum sententia: adeo ut Imagines non modo pictæ, aut anaglyptico vel textorio opere confectæ, verum etiam exsculptæ, insculptæque, ac Statuæ paullatim inductæ, processuque temporis ubique receptæ, ac tum inopia Picturarum ac Pictorum, tum frequentiorum Supplicationum caussa, a decimo ad decimumquintum Seculum ita propagatæ sint, ut nulla prope fuerit Ecclesia, in qua sacrum aliquod Simulacrum non coleretur, præsertim apud Italos, ad quos quum, celebrandi Florentini Concilii caussa, Græci tandem accessissent, ac tum primum spectassent apud nos cultum Statuarum; nec in unione illa, quam utcumque inierant, perseverare vellent, ad Patriam reversi, quum nos adhuc criminari non possent quod Imagines sacras non veneraremur; sacra-

rum

rum cultus Statuarum novitatem criminati sunt, patriumque non modo ac vetustum ad morem, sed ad perpetuam quoque intellecta Sacri Codicis ac Synodi Nicænæ loca confugientes, Idololatriæ nos crimine condemnavere. Quam labili tamen innitantur eorum querelæ fundamento statim ostendemus, ut ita nostri defensionem moris absolventes, huic tandem Commentariolo finem imponamus.



CAPUT

CAPUT XV.

An Latini sine labe sacrarum cultum Statuarum denique admiserint.

HAud deessent qui ante secundam Synodum Nicænam fuisse apud nos sacras Statuas contenderent, earumque cultum Antiquitatis jure propugnarent, Bellorius quippe, Maffejus,Ogginius, Mamachius, nonnullas publicavere, quarum locus, in quo scilicet inventæ sunt, eas indicare videretur fuisse a Christianis cultas: quarumque mediocris saltem elegantia argumento esse posset, fuisse easdem Seculo VII. & quibuscumque Iconolasticis Quæstionibus anteriores, quum septimi, octavi, ac noni Seculorum Simulacra & Anaglypha, generatim perfecta ruditer credantur. Quis autem prudens dixerit, eas solum Statuas nunc reliquas, a præclaris citatis Viris illustratas, antiquis Occidentalibus fuisse, prætereaque omnino nullas? Quid illud esse apud Anastasium de Paulo Romano Pontifice scribentem arbitremur? *Effigiem Sanctæ Dei Genitricis IN STATUA ex argento deaurato fecit, quæ pensat libras centum.* Anastasius C. XCV. p. 90. Edit. Parif. A. MDCXLIX. Annon de Statua Dei Genitricis intelligenda hæc sunt? Rursus idem Auctor de Gregorio III qui A. DCCXLI. decessit, agens, inquit: *fecit in eadem Basilica IMAGINEM AUREAM in gemmis Beati Andreæ Apostoli, pensantem libras septem.* Quot aliæ SACRÆ STATUÆ in Vitis sequentium Pontificum inveniuntur?

tur? Antiquissimus itaque dici apud Latinos posset usus cultusque sacrarum Imaginum sculptarum, quamvis nec ita frequens sicut postea, nec omnibus iis ritibus, neque omni eo apparatu, qui deinceps non apud nos solum, sed etiam apud Græcos obtinuit.

Essent, inquam, qui ita differendum crederent. Verum, quum sermo noster sit apologeticus, propterea, quæ Recentiores Græci adversus Latinorum morem objiciunt solvere, satis futurum arbitramur. Jactant autem priore loco Sacrarum verba Literarum: *NON FACIES TIBI SCULPTILE — SIMULACRA GENTIUM ARGENTUM ET AURUM.* Sed non considerant, Iconoclastas tum Orientales, tum Occidentales, hæc ipsa ursisse Scripturarum loca adversus sacras Imagines solis coloribus expressas. Cur non animadvertunt genus, quo utuntur, disputandi in nostra Simulacra, eodem laborare vitio, quo genus laborabat disputandi Iconoclastarum in Picturas sacras? Adferebant isti Moysis verba juxta LXX. Versionem: *Non facias tibi IDOLUM*, quam vocem de solis Imaginibus Numinum falsorum, vel de Imagine profana divino donata cultu, sive sculpta, sive conflata, sive picta, sive dolata, sive alterius formæ aut materiæ, sacro in Codice prolatam, iidem sacras etiam ad Imagines perperam extendebant minore cultu honoratas. Has itaque IDOLA appellabant, & cultum earum *IDOLOLATRICUM CULTUM, IDOLOLATRICAM CONSUETUDINEM*, non iterum, aut tertio, sed innumeris in locis, ut ex Actione II. patet Synodi Nicænæ, quibus protestabantur, *illicitam esse PICTORUM artem, ac*

blas-

blasphemantem, τὴν ἀθέμιτον τῶν ζωγράφων τέχνην, βλασφημοῦσαν, *seductoriam* SIMILITUDINUM PER COLORES *operationem*, τὴν ὁμοιωμάτων χρωματουργίαν, *abominandas prorsus* ET IDOLOLATRICAS *Imagines quascumque* A PESSIMA PICTORUM ARTE COLORIBUS EXPRESSAS: quibus ex vocibus haud possum, quin obiter confirmem præcipuum Dissertationis hujus argumentum. Primis namque Iconomachis notissima fuerit oportet Ars, & materia, & ratio Imaginum Deorum, quas Ethnici fuerant idololatrico cultu prosequuti: neque tamen iidem Iconoclastæ distinguebant Imagines inter pictas atque sculptas, sed utrasque, immo vero pictas, quia de illis præcipue agebatur, IDOLA fuisse protestabantur. Actione V. Synodi Nicænæ, Lycomede memorato, qui sacram pictamque Imaginem colebat, subditur: *Senex ibi coronam cinctam videns, lucernasque adstantes, necnon aram ante Imaginem, advocato Lycomede dixit: quid sibi vult hæc Imago? Quemnam* DEORUM TUORUM SIC PICTI *curavisti? Video te nondum* GENTILITATEM *exuisse*. τίς τῶν θεῶν σου τυγχάνει ὁ γεγραμμένος, ὁρῶ γάρ σε ἐθνικὸν ζῶντα. Erant posteriora hæc fateor ex monumentis suppostitiis desumpta, sed qui ea excogitavit, illorum querelas æmulatus est, qui sacrarum cultum Imaginum insectabantur. Jam vero, etsi errarent Iconomachi Orthodoxos idololatriæ nota vituperantes, attamen si materiam, artemque, & quod externum in Imagine est, consideramus, ex eorum effluit dicendi ratione, Imagines cultas Christianorum convenisse cum cultus Imaginibus Gentilium. Quum autem in ratione

Objecti ac Repræsentati, si Scholæ ad morem scribere aliquando fas est, nullo sane pacto Orthodoxæ Imagines convenirent cum Imaginibus Gentilium; sequi debet, ut quemadmodum coloribus expressas Imagines Orthodoxi illo tempore colebant, ita Imagines Deorum coloribus expressas Ethnici, quorum superiore Seculo adhuc superfuerant reliquiæ, adoraverint. Totus est Crozæus in Historia sua Christianismi Indiatum, Libro præsertim III. in describenda aversatione Nestorianorum Malabricas ad Ecclesias pertinentium ab Imaginibus factis, quas Græci religioso cultu prosequuntur, quasque IDOLA propterea appellant, ejusmodi, ut ajunt, IDOLOLATRIÆ originem Cyrillo Alexandrino Nestorii Adversario asserentes. Agunt tales Nestoriani, immenso quamvis numero, inter populos vere Idololatras; sacrasque adhuc Imagines Græcorum pictas, IDOLA, & earum cultum IDOLOLATRIAM affirmant; itaque argumentum id est, Gentiles illarum regionum hodie quoque manifesto cultu suos in pictis Tabulis Deos adorare.

Verum in viam redeamus. Quum Iconoclastæ, perpetuo dissidentium Theologicis de rebus malo, qui ex diversitate definitionis eidem nomini assertæ, in diversas abeunt opiniones; quum, Iconomachi, inquam, IDOLI voce abuterentur, ejusque significationem, ad Repræsentationes sive sculptas, sive pictas, quæ colerentur, Numinum Sacris in Literis restrictam, ad Repræsentationes minoremque ad cultum sacrorum etiam Objectorum perperam extenderent: Nicæni Patres, ceterique Orthodoxi, errorem de-

detexere, ostenderuntque, sacras Imagines IDOLA minime esse, accepto IDOLI nomine juxta quod Sacris in Literis enunciatum est. Quamvis enim juxta etymon, legesque Grammaticorum, *Idola ea sint, & quæ PICTA SUNT, & quæ typis, sive figuris expressa, & alia ejusmodi*, ut inquiebat Plato in Sophista: εἴδωλα ἔτι καὶ τὰ γεγραμμένα, καὶ τὰ τετυπωμένα, καὶ τἆλλα ὅσα που τοιαῦτ' ἐστὶν ἕτερα, attamen quum Deus per Moysen IDOLA prohibens, cultum tantummodo divinum profanis Imaginibus tribui vetasset, non esse consequebantur Nicæni Patres, cur IDOLI nomine interdictas censerent Iconomachi sacras Imagines Christiano ritu honoratas. Hoc autem egregium responsum accommodari omnino valet Moysis verbis, quæ juxta vulgatum Interpretem nobis objiciunt Photiani. Quamvis enim Statuæ a Latinis cultæ sint Sculptilia: quum tamen SCULPTILE a Deo per Moysen prohibitum, nisi divinum cultum profanorum Sculptilium non respexerit, non est, cur vocem *Sculptilis* secundum quod in Decalogo habetur, de Statuis nostris Adversarii interpretentur & accipiant: quum ipsæ neque falsorum Numinum Statuæ sint, neque ut Dii adorentur.

Et vero si rationem perpendimus, qua Orthodoxi sacrarum cultum Imaginum adversus Iconomachos vindicavere, nil omnino reperimus dictum de discrimine inter Ethnicorum Statuas & Imagines sacras pictas a nostris honoratas, quod ad materiam attemque pertinebat; sed quod ad Objectum tantummodo spectabat, ac modum illud honorandi; immo Christianas Picturas ita videmus propugnatas, ut sacra-

rum

rum cultus Statuarum futurus fore licitus intelligatur. Extat Actione V. citatæ Synodi Nicænæ Disputatio Orthodoxum inter atque Ethnicum contendentem, Idolorum usum atque cultum renovatum iri usu cultuque Imaginum nostrarum: *quemadmodum enim Christiani*, inquiebat Ethnicus, *Angelos, qui incorporei sunt, PINGUNT, ATQUE COLUNT, ita & Ethnici incorporeas Virtutes exprimebant in Imaginibus, atque adorabant.* Quid ad hæc Orthodoxus? Num fortasse in eo peccasse Ethnicos, quod non pictis modo, verum etiam sculptis Imaginibus ac Simulacris incorporeas Virtutes expressissent? Nil profecto minus; sed respondit: Christianos non simulasse res, quæ in rerum natura non erant; quemadmodum Ethnici Deos nullibi existentes fingebant, pingebantque, & adorabant. Rursus respondit id, quod pluribus tunc probatum adhuc erat: Angelos non omnino incorporeos esse ac inconspicuos, sed aereo tenuique corpore esse prædictos, sæpiusque in adspectabili forma nonnullis visos: ex opposito incorporeas, ut jactabant Ethnici, Virtutes illas suas haud debuisse propterea illis sub figuris, ac speciebus, ac symbolis sensibilibus pingi & adorari: quod idem jam antea in Ethnicos, Numina sua corporis ac materiæ expertia prædicantes, scripserat Lactantius Libro Divinarum Institutionum I. iisdemque prope verbis: *Cur igitur Dii sic figurantur, sic coluntur? Nisi forte non tantum Poetæ, sed ET PICTORES ETIAM FICTORESQUE Imaginum mentiuntur.* Tandem respondit Orthodoxus, nos Imagines pictas non ut Deos colere, quemadmodum ut Deos suas Ethnici adoraverant,

verant. Nec dissimilia responsa fuere Nicephori Patriarchæ CP. a Leone Armenio in exilium acti, in Libro de Imaginibus, qui exstat Tomo XIV. Bibliothecæ PP. Lugdunensis A MDCLXXVII. editæ, sicut & Johannis Damasceni Oratione I. de Imaginibus, aliorumque Christianæ pietatis Apologetarum, qui cujuscumque Imaginis prohibitæ rationem, non ex materia ipsius aut arte, sed ex Objecto repræsentato, atque ex qualitate, ut ita dicam, cultus desumendam esse docuerunt.

De Regii Psalmi loco satis superque superiori Capite dictum fuisse videtur. Addimus verba: *SIMULACRA GENTIUM ARGENTUM ET AURUM*, castigationem fuisse generalis erroris Ethnicorum. Perpetua siquidem erat Gentilium interrogatio, tum olim respectu Hebræorum, tum respecta postea Christianæ Religionis: quisnam foret ille Deus, cujus nec formam, nec speciem, nec figuram, nec imaginem, neque generis alicujus Simulacrum ostendere possemus? quum ex opposito Dii, quibus ipsi serviebant, Simulacra pretiosissima aurea & argentea haberent. Propheta igitur, ut animadvertunt hæic Interpretes, recriminatione utebatur, translationeque criminis, quod Idololatræ vero objiciebant Deo, in Idola ipsa: fassus Numinum falsorum aurea quidem argenteaque fuisse Simulacra, sed inania ac otiosa, nullaque vitæ, aut virtutis, aut sensus facultate prædita: quum ex opposito Deus noster, in cælis regnans, omnia quæcumque voluerit fecisset, ac faciat. Cogita an ejusmodi ex oratione aliquid extundi possit adversus sacra Christianorum Simulacra?

Quem-

Quemadmodum vero ex verbis *Simulacra Gentium argentum & aurum*, exclusa nemo dixerit aenea, eborea, eburnea, lapidea ac ferrea, ab Ethnicis olim sane culta Deorum Simulacra; ita nec exclusae inferri debent Imagines Deorum pictae, cultuque idololatrico donatae: quae, si ratione Objecti, colendique generis, cum sacris Imaginibus pictis conferendae non sunt; cur ratione solius materiae atque artis conferendae Sanctorum erunt Statuae cum Simulacris Ethnicorum?

At pergunt Photiani: Hadrianus Pontifex in Epistola ad Constantinum & Irenem scripsit: *Aliud est Imago, aliud Simulacrum*. Germanus autem Patriarcha CP. in Epistola ad Thomam Episcopum Claudiopolitanum, quae Actione IV habetur Synodi Nicaenae, revocata in medium narratione Statuae Paneadensis, prosequutus est his verbis: *Non autem hoc dicimus, aeneas ut Statuas facere studeamus, quoniam illud GENTILEM SECUNDUM CONSUETUDINEM, κατὰ ἐθνικὴν συνήθειαν factum est*. Statuam igitur a muliere erectam, subdunt Adversarii, quum Germanus PRO GENTILIUM CONSUETUDINE erectam dixerit, satis ostendit, abs se minime probatum iri Imaginem Ethnicismi mores redolentem: praesertim quum similitudo illa, quam habet Simulacrum cum Vivente, rudiores saltem ita rapiat ac afficiat, ut aliquid in Simulacro habitans reperiri sibi prope persuadeat, quemadmodum de Statuis in Idololatria cultis inquiebat Divus Augustinus Enarratione in Psalmum CXIII. & Epistola CII. Quaestione 3. Quum enim nos Christum, Deiparam, ac

Sanctos

Sanctos in Statuis viventes præconcipere prohibeamur; propterea haud minus contra nostras, quam contra Statuas Gentilium ferri videtur Sancti Patris disputatio, præsertim quum earum usum & cultum a novitatis labe minime vindicare valeamus.

Postrema hæc tamen difficultas, quam levis est! Quum enim Græci nobiscum tum in doctrina & praxi cultus Imaginum sacrarum, tum in doctrina de potestate auctoritateque Ecclesiæ conveniant; proinde cultus Statuarum sacrarum ejus generis novitas est, cujus innumera exempla se se produnt, non in Disciplina modo Latinæ Ecclesiæ, sed in ritibus, ac moribus, & consuetudinibus Græcorum, ut ex Anaphoris ac Euchologiis ipsorum patet, juxta quæ, nonnulla sane fiunt, quæ prioribus Seculis eodem facta fuisse ordine ac modo nunquam demonstrabunt; nec alia novitas, quam quæ in diversa sacrarum Ædium structura, in coloribus ac formis vestium Sacerdotalium, in Liturgiæ cæremoniis, in habitu & corona Clericorum, in pictarum denique Imaginum colendi ratione, ritu, forma, & apparatu: quæ omnia quum sarto tecto ingenio, spiritu, consilio, mente, ac doctrina Ecclesiæ variare queant, extimæ propterea & accidentales novitates sunt, quæ nec minimam adferunt aut Dogmati noxam, aut pietati.

Perperam autem Hadriani, Germanique dicta nobis opponuntur. Prior immo nobis favet, cujus hæc fuere verba: Ἄλλο γάρ ἐςι εἰκὼν, καὶ ἄλλο ἄγαλμα, τετέςι ζώδιον. *Aliud est Imago, aliud Simulacrum*, *HOC EST, ANIMALIS ABJECTI STATUA*, quemadmodum Gibertus Longolius rectissime

QQ inter-

interpretatus est in vulgata Nicænæ Synodi Editione, ac omnino postulant textus, adjecta, seriesque Orationis ac Epistolæ Pontificis, haud aliud ponentis inter rejiciendum Simulacrum & Imaginem discrimen, nisi quod ex Objecti discrimine procedit. Germani vero ad Claudianopolitanum verbis verba opponimus Eusebii, qui Libro Historiæ Ecclesiasticæ VII. Capite 18. sermone habito de eadem Statua Paneadensi, sic prosequitur: *Nec vero mirandum est, Gentiles a Salvatore nostro beneficiis adfectos hoc præstitisse quum & Apostolorum Petri & Pauli, Christique ipsius PICTAS IMAGINES* διὰ χρωμάτων ἐν γραφαῖς *ad nostram usque memoriam servatas in Tabulis viderimus. Quippe Prisci illi absque ullo discrimine cunctos de se benemeritos GENTILI QUADAM CONSUETUDINE*, ἐθνικῇ συνηθείᾳ, *tamquam Salvatores colere hujusmodi honoribus consueverant*. Dicant oro recentiores Græci quid differant ἐθνικῇ συνηθείᾳ Eusebii, a κατ' ἐθνικὴν συνήθειαν Germani? Plane profecto nihil. Itaque si velut ethnicas Germanus Statuas damnavit, Eusebius velut ethnicas oporter damnaverit Picturas. Quod si verbis illis voluisse Eusebium dicant, honoratos Christum & Apostolos pictis Imaginibus fuisse ἐθνικῇ συνηθείᾳ *ethnica consuetudine*, quæ etsi non eadem, similis tamen fuisset aliqua ratione nostræ: quare locum Eusebii nil obstare, quin modo Christiano pictas Imagines colamus: quid est quod eodem pacto fas nobis non sit interpretari sententiam Germani, affirmareque Statuam, quam Christo erectam præconcipiebat, positam fuisse consuetudine, quæ non eadem omnino, sed aliqua ratione tamen

similis

similis consuetudini Ethnicorum esset; idque non impedite quin Christiano modo cultum Statuis Sanctorum adhibeamus? Ac multo quidem minus Germani obstabit locus, quo is Statuam εὐδοκήσαντος τοῦ Κυρίου *BENE VOLENTE DOMINO fuisse Christo erectam*, scribat, *ut per plurimum tempus demonstraretur ipsius bonitatis miraculum*. Idololatricum enim esse non potest, quod BONA DEI VOLUNTATE perfectum sit, itaque si, concedente Germano, *bona Dei voluntate* erecta Christo Servatori Statua dicta est, pte profecto sancteque erecta fuerit necesse est: quæ quidem ratio etsi specie prima non absimilis ethnicæ consuetudini videretur esse, re tamen ipsa discrepabat, ut quæ εὐδοκία τοῦ Κυρίου fuerit confirmata.

Qui Augustini testimonio de Simulacris Ethnicis prolato abuti in Statuas Latinorum vellet, næ ille Sanctum Patrem Libro I. de Moribus Ecclesiæ Num. 75. adversus Manichæos ita scribentem non legisset: *Nolite mihi colligere Professores Nominis Christiani, nec professionis suæ vim aut scientes, aut exhibentes. Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera Religione superstitiosi sunt. Novi multos esse Sepulchrorum ET PICTURARUM ADORATORES &c.* Scribebat hæc non de Picturis Gentilium Deorum Augustinus, tum quod fieri non poterat, ut Professores Nominis Christiani eas adorarent; tum etiam quod talis cultus, non fuisset superstitio, sed impietas & idololatria: propterea de Picturis loquebatur, quæ erant in Sepulchris Martyrum, ut sermonis etiam series ostendit, convivia respiciens, quæ imperiti nonnulli ethnico more ad Martyrum Sepulchra celebrabant;

bant; quæque, pro majore vel minore abusu, vel reprehendebant, vel excusabant Patres, ut ex tot eorum testimoniis intelligere est apud Johannem Faes Luneburgicum, in Adnotationibus ad Gregorii Gyraldi Librum de vario sepeliendi ritu. Imagines autem respiciens Augustinus in Sepulchris Martyrum depictas, nonne prima viderentur specie Græcis haud minus, quam nobis adversari? Caussam tamen ita cogitandi si quæris? eadem fuit, ob quam Sanctus Epiphanius per vicum Palæstinæ transiens, velum quum vidisset in foribus Ecclesiæ TINCTUM AC DEPICTUM, Imaginem quasi Christi habens, illud scidit, quemadmodum ipse in Epistola scribebat ad Johannem Hierosolymitanum; eademque, ob quam Serenus Episcopus Massiliensis, quum PICTURAS QUASDAM ad Historiam Ecclesiasticam spectantes, sua in Ecclesia perperam a Populo vidisset adorari, eas deleri jussit, ne in ADORATIONE PICTURÆ Populus peccaret, ut in Gregorii Magni Epistola legimus CXVII. Libri VII. Nimirum, ut Viri doctissimi ad hæc omnia animadvertunt, quum plures eo temporis illis in Provinciis adhuc degerent Gentiles, qui Idolis ac Picturis falsorum Numinum assueti, eorumque superstitioso jam implicati cultu, eam difficile eluere labem possent: qui præsertim rudes erant ac imperiti, postquam Religionem Christianam amplexi fuerant, ex pictarum Imaginum aspectu in errorem pristinum relabebantur; aut periculum saltem erat, ne suspicarentur, Picturas nostras fuisse Idolis ac Picturis Gentilium subrogatas, unde propterea cautela illa Sanctissimorum Præsulum atque diligentia, ne

ne statim adeo talibus in locis Picturæ sacræ Populo proponerentur ad colendum; vel si quas Christianas etiam Picturas ethnico tamen ritu Vulgus adoraffet, removendas Episcopi curarent.

Effluit heinc rursus validum in Picturarum favorem ab Ethnicis cultarum argumentum. Quippe, si Præsules olim aliqui interdicere Christianas Picturas, aut earum cohibere differeque cultum debuerunt, ne recens ex idololatria Christianum ad nomen conversi, non tam Idola reliquisse se, quam mutasse arbitrarentur; sive quod periculum tunc aliquibus adhuc in locis foret, ne offensionis aliquid traheret externa illa Picturarum species, similitudine Artis cum pictis Deorum Tabulis convenients: inferre profecto necesse est, Ethnicos illorum ac superiorum temporum pictas Numinum effigies colere publice ac in Templis consuevisse. Siquidem, si Sculptilia modo, Deorumque ac Heroum solas adorare Statuas Ethnici soliti fuissent, vix caussa nonnullis Præsulibus fuisset Picturas ab Ecclesiis submovendi: quippequod periculum idololatriæ nullum, ut recentioribus Græcis placet, imminere ex Imaginibus solum pictis potuisset. Quum autem tale periculum revera imminere timuerint aliqui Ecclesiarum Præsides, jure sequitur, præter Simulacra Numinum, pictas etiam Deorum Tabulas fuisse ab Ethnicis per illa tempora adoratas.

Verum de hoc obiter: ut in cursum redeamus, & ad difficultatem ex Augustini meditatione derivatam: si ex quo Sanctus Pater, pro temporis opportunitate, reprehenderit Christianarum PICTURARUM ADORATORES, haud reprehendendum tamen

men censent Adversarii cultum sacrarum Imaginum pictarum, immo frugiferum & laudandum jure eum dicunt, quod abrogata prorsus idololatria nullum amplius reliquum fuerit periculum errandi: cur idem sacris de Statuis dicendum non erit, quæ posteriori adhuc ætate concessæ Christiano Populo fuerunt, ideoque tempore, quo minus adhuc periculum erat conveniendi cum Gentilibus, etiamsi meditationes illas adversus Gentilium Simulacrorum cultum proposuerit Augustinus? Idque eo etiam magis, quod incommodum quodcumque Sanctus Pater urserit in Statuis, idem, aut prope simile in Imaginibus pictis reperiri valeat, si rudiores, ac non recte institutos homines respiciamus. Quemadmodum enim isti similitudine animatorum membrorum atque sensuum, quæ est in Simulacris, seducti, Numen aliquod occultum in illis latere, aut sine aliquo habitatore ea esse non posse, sibi persuadere valent; ita Picturam, vel Tabulam sacram intuentes, cur OCCULTAM ALIQUAM VIRTUTEM, AUT VIM, non poterunt in Imagine illa suspicari? Da mihi Tabulam, in qua Imagines juxta similitudinem viri aut mulieris egregio penicillo, humanisque coloribus expressæ sint, eaque delineatæ arte, ut earum quælibet juxta leges Opticæ inspicienti oculo se se commodum exhibeant, nonne, quamvis omni carentes sensu, vivere quodammodo, spirareque videbuntur? Nam ut olim etiam inquiebat Plato in Phædro. *Picturæ quædam Opera, TAMQUAM VIVENTIA existunt; siquid vero rogaveris verecunde admodum silent*, καὶ γὰρ τὰ ἐκείνης (γραφῆς) ἔκγονα ἕστηκεν μὲν ὡς ζῶντα· ἐὰν δ' ἀνέρῃ τι σεμνῶς

πάνυ

πάντ σιγᾷ. Quæ profecto verba, quam similia sunt cantui Regii Psaltis de Statuis Gentilium! Et hæc quidem considerata solum Arte. Quid si lumina in tenebris adjicias, quemadmodum fit in Templis ac Theatris: num pictas tunc Imagines a Statuis distinxeris? Tanta tamen ars vel diligentia necessaria non est, si sola adsit superstitio: quippe tunc rudioribus etiam ac informibus in Picturis occulta vis aliqua aut virtus credi poterit; cujus exempla rei domestica habent Adversarii: neglecto quippe etiam Spanhemio, qui Tomo Operum III. de præcipuis agens Controversiis cum Græcis hodiernis & Orientali Ecclesia, p. 290. Moscovitas, Georgianos, & Mengrelios, putasse scribit *aliquid Numinis latere in Imaginibus*, quas coloribus expressas exquisito cultu prosequebantur, Muratorius, Vir Cl. in Tractatu de ordinata Pietate Capite XXIII. narrat, *Græcos olim PICTAM QUAMDAM DEIPARÆ IMAGINEM veneratos quammaxime fuisse, tum quod a Beato Luca Tabulam depictam præconciperent; tum etiam quod præconciperent DEIPARÆ IPSIUS SPIRITUM IN ILLA TABULA INCLUSUM, quam propterea superstitionem Innocentius III. Romanus Pontifex damnavit Libro IX. Epistola CCXLI.* Polydorus demum Virgilius Libro VI. de Inventione rerum Capite 13. de rudioribus quibusdam stupidioribusque querebatur, *qui saxeas, vel ligneas, marmoreas, æneas, SEU IN PARIETIBUS PICTAS, variisque coloribus litas Imagines colerent, non ut Signa, SED PERINDE QUASI IPSÆ SENSUM ALIQUEM HABERENT.* Verum, sicut hos imperitarum mentium errores

rores in Pictuis facris corrigunt Concilia, Synodi, Antiftites, Catechefes, ac Docti quique, cur omnem ab imperitorum mentibus averruncare non poterunt errorem circa facras Statuas atque Simulacra?

Et vero, fi vel leviter fufpicari poffent Catholicæ Antiftites Ecclefiæ ab Statuis Sanctorum perperam affici fideles, dubium nullum eft, quin eas confeftim removerent. Fuit hæc perpetua difciplina ac prudentia Præfulum Ecclefiæ, ut periculo ac fcandalis imminentibus occurrerent. Primis temporibus nulla prope erat Gentilium Pictura, quæ ad idololatriam falfem non provocaret. *Quis Ludimagifter fine TABULA SEPTEM IDOLORUM*, idest Planetarum? inquiebat Tertullianus Libro I. de Idololatria Capite 10. Et Petronius in Satyrico, Trimalchionis domum defcribens, fuiffe ajebat *in Tabula Lunæ curfus* ; *& qui boni dies, quive incommodi effent, diftinguente bulla notabantur*, ad quæ fuperftitionem & omen latentia fuiffe adnotat Burmannus. Jamque diximus de fuperftitiofis aliis Ædium Gentilium & Conclavium Picturis: quare Illiberitani Patres Canone XXXVI. conftituerunt: *placuit PICTURAS in Ecclefiis effe non debere, ne quod colitur & adoratur, IN PARIETIBUS DEPINGATUR*, qua fcilicet, ut alibi oftendimus, quum Chriftiani, ætate illa perfecutionis, in eorum amplioribus Ædibus, qui mox Gentiles fuerant, congregarentur, (neque enim publica cœtus habendi loca adhucdum habebant,) periculum erat, ne in parietibus locorum, in quibus cogebantur, depictæ reperirentur effigies Deorum fortè illic etiam a Gentilibus coli & adorari. quod rurfus fcrupulum effe

esse valet in rem nostram argumentum. Quum, ut inquiebam, tunc nulla fere Pictura foret, quæ idololatrica non esset, illorum Patres temporum vel ab ipsis Artibus ingenuis, & a Pictura, fideles avocabant, ne aliquo modo in perniciem fidei Graphica Arte abuterentur. Exacto persequutionum tempore, inductisque Martyrum celebritatibus, quum nossent Ecclesiæ Præsides nonnulli, Picturæ opera idoneam esse rudiorum Scripturam, segniusque voce exprimi, quæ fortius ac diutius poterant coloribus repræsentari: propterea Imagines ut pingerentur, satagerunt, quæ & sacras Historias exprimerent, & Objecta proponerent fidelibus colenda. Verum quum alicubi intelligerent, rudiores quosdam, plerumque jam senes ad Religionem nostram conversos, ex pictarum Imaginum aspectu in pristinam relabi idololatriam, confestim pictas ipsas Imagines ab oculis fidelium, aliquibus ut vidimus in locis, removerunt. Eversa funditus Idololatria, ac fidelibus a pueritia recte institutis, sacræ Imagines passim erectæ, dedicatæ, cultæque sunt: dum, aliis impellentibus caussis, in earum cultum, novitatis obtentu, Iconoclastæ insurrexere. Ut enim rectissime animadvertit Aurelianensium Episcopus, Albaspinæus, Libro Observationum Ecclesiasticarum I. Capite 9. *Vix ullus error, aut hæresis in Ecclesia serpere ac prodire cœpit, quin specioso quodam ac probabili rationum fundamento niteretur, atque adeo AB AUSTERA AC RECEPTA ECCLESIASTICA DISCIPLINA ortum suum duceret: quam cum JUSTIS GRAVIBUSQUE DE CAUSIS, ab mutare, aut temperare vellet Ecclesia, eam nihilominus*

RR Hære-

Hæretici mordicus ac tenaciter tueri vellent. Eos, qui animo, & cogitatione veteris memoriæ, Hæreses erroresque varios repetierint, in suam facile descensuros sententiam subdit Vir doctus. Quum autem Iconomachorum facias in Imagines bellum, non calamo & verbis, sed impetu ac furore in Oriente agere- tur, illis evenit in partibus quod noster Cardinalis Ursius in Dissertatione animadvertit de Capitalium criminum absolutione Sectione I. Capite 7. scribens: *Perpetua Ecclesiæ consuetudo, fructificantibus erroribus, in illud omni sollicitudine incubuit, ut non solum nullo modo cum Hæreticis consentire, sed etiam ab eis dissentire plurimum videretur. Reliquiarum cultus, SACRARUM IMAGINUM USUS, tum præsertim invaluerunt, quum primum in hæc Christianæ pietatis officia Hæretici insano furore debacchati sunt.* In Occidente autem ab Osoribus cultus Imaginum sacrarum res mitius ac temperatius temporibus illis acta est: quare nulla tunc fuisse videtur se se statim illis ubique opponendi vehementius necessitas: proindeque pluribus saltem in Ecclesiis serior ac paullisper procedens fuit solemnior ille apparatus, qui cultum sacrarum Imaginum augustiorem, celebrioremque redderet, ac manifestaret: & quoniam id ea tempestate evenit, qua nullum jam in regionibus erat nostris Idololatriæ vestigium, erroris periculum nullum, nullum amplius offendiculum: idcirco, non Picturæ solum, verum etiam Sanctorum Statuæ, facile in usum receptæ sunt: præsertim quum rarior ac difficilior Pictura etiam mediocris tunc foret, facilior ac tolerabilior Sculptura, erga quam Populus in perpe-

tuis

tuis regionum harum, quæ in Septentrionem vergunt, versans tenebris, & barbarie adhuc aliqua laborans, magis propendebat, ita tamen ut Ecclesiæ Præsides intelligerent, planeque judicarent, eadem ratione ac mente, eodemque innocentissimo pietatis sensu, erga Statuas Christi, Deiparæ, ac Sanctorum, plebes ferri, ac erga eorumdem Imagines coloribus expressas: quare nulla frenandæ fidelium pietatis caussa generatim fuisse videretur.

Johannes Molanus, Vir piissimus, Libro de Picturis & Imaginibus Capite LXXXVI. inquirebat, cur Romæ rariores ætate essent sua Sanctorum Statuæ, quæ apud Belgas, alioique, frequentes adeo erant? & ita Quæstioni huic reperit: *Suspicor, Romam rariores admisisse Sanctorum Statuas propter multitudinem profanarum Statuarum, quas etiam in Ecclesiis ad memoriam Defunctorum habent plurimas, quare inter tot Statuas difficulter aliquando Sanctorum Statuæ a Defunctorum Statuis distinguerentur: nec magnum videtur Sanctis honorem deferre, qui tam multis ibi communis, & ubi habentur ipsi cineres & corpora Sanctorum. Audio etiam Antuerpiæ, & alibi, ubi fracta per Sectarios Altaria, iterum, Deo nobis propitio, eriguntur, rariores in Altaribus poni Statuas Sanctorum, crebriores vero depictas Tabulas idque non ob aliam caussam, quam quod plus artificii dicatur esse in illis Picturis, quam in Statuis.* Nempe, ætate Molani, jam ingenuæ Artes valebant, plures quam antea jam erant Pictores, studium & amor Imaginum elegantius expressarum jam redierat, cuncta quodammodo renasci renovarique videbantur. Unum immo fuit

Statuarum genus, quod Synodis quibusdam Diœcesanis, Provincialibusque non placuit, earum scilicet, quæ coloribus illitæ, vivæ carnis præ se speciem ferunt, quæque amictu sunt ornatæ, ei omnino similit, cujus est apud Viventes communis usus. Eas inter Synodus Laudensis VI. Provincialis Mediolanensis IV. & Diœcesana IV. Concilium Mexicanum A. MDLXXXV. celebratum, cujus Acta Tomo X. prostant Labbeanæ Collectionis; & in Synodo Diamperiana A. MDXCIX. de erigendis pictis Sanctorum Tabulis decretum est, nil omnino de ipsorum Simulacris. Græcorum autem animus in nos, nostrasque Statuas adeo male animatus, efficere nunquam potuit ut nos, quibus satis est nostram defendere consuetudinem, unicum Picturarum usum in ipsis vituperaremus, ipsos eo magis commendantes, quo majori in pictis utuntur Tabulis modestia ac simplicitate; quemadmodum Vanslebius meus præstitit, qui in Historia nupera Ecclesiæ Alexandrinæ, de Christianis Ægypti loquens Capite VII. p. 13. scribit: *Id apud eos laudatissimum reperi, quod sunt omnes eorum Imagines modestissimæ, omnesque eadem forma Beatam Virginem semper capite velatam repræsentant, & habitu, qui totam obtegit, MORE ORIENTALIUM, ut nec sinus Virginei, nec ipsius infantuli nuditas, quem ulnis gestat, præter obvelatum, appareat.* Addit scandalum quod in Turcis ac Schismaticis oriretur aspectu Imaginum Beatæ Virginis, nudans uberibus, nudatoque infante. Sed & Ludovicus Muratorius in Tractatu de ordinata Christianorum pietate Capite XXIII. Viros æque pios ac sapientes de usu Statuarum


rum ita differentes inducit: *Fatendum, quod quum res hæc Ecclesiasticam ad disciplinam spectet, Ecclesia, quæ Statuarum usum permisit, posset etiam eum vetare, si melius id judicaret, saltem in Supplicationibus, retento dumtaxat Imaginum pictarum usu*. Rationes subindicat Vir doctus, addens tamen, Privatorum sensibus præferendum semper esse Ecclesiæ judicium, illisque hærendum, quæ probat, quæ permittit. Adeo verum est, Latinos absque ulla superstitionis, aut animi obstinati labe, usum in sacris retinere Statuarum aliquot, quas pie ritèque venerentur.

Hæc autem quum ita sint, quid prohibet, nostrum nos morem iisdem tueri verbis, quibus recentiores utuntur Græci in Imaginibus pictis adversus Iconoclastas vindicandis? In Orthodoxa, ut ajunt, Confessione Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Orientalis a Patriarcha Nectario A. MDCLXII. concinnata, & a quatuor Sedium, quas Græci Apostolicas vocant, Episcopis adprobata, quam cum interpretatione Latina Lipsiæ edidit Laurentius Normannus, Quæstione LV. ita legitur: *Nos quando honoramus Imagines, easque adoramus, NON ADORAMUS COLORES ET LIGNA*, δὲν προσκυνοῦμεν τὰ χρώματα, ἢ τὰ ξύλα, *sed Sanctos suis Imaginibus repræsentatos; neque admiratio ARTI PICTORIÆ*, εἰς τὴν τέχνην τῆς ζωγραφικῆς *tribuitur ab Orthodoxis, sed Personis Sanctorum, quos Imagines referunt*. Cum hac vero nupera consonat Græcorum fidei Confessio a Smithio edita in Epistola de hodierno Ecclesiæ statu, ubi illa: *Nos quum honoramus Imagines, easque colimus, neutiquam COLORES, AUT LIGNUM,*

τὰ

τὰ χρώματα, ἢ τὰ ξύλα colimus; *sed ipsos glorificamus Sanctos, quorum sunt Imagines, mente nostra illos oculis adesse concipientes.* Et rursus in eadem Fidei Confessione: *Neque datur cultus ipse ab Orthodoxis ARTI PICTORIÆ* εἰς τὴν τέχνην τῆς ζωγραφικῆς, *sed personis illorum Sanctorum, quas Imagines exhibent ac repræsentant.* Quid, inquiebam, prohibet, eadem nos uti de sacris Statuis disserendi ratione? Nempe: nos eo dilectionis sanctitatisque cultu animas cælestes colere, quo & in hac vita Sanctos colimus Dei homines: tutius immo illas, post indeptam felicitatis æternæque gloriæ coronam. Earum vero quum Signa veneramur atque Simulacra, non æs, lignumque, ebur, aurum vel argentum, sive marmora, sed Sanctos veneramur ipsos, illosque, uti pictarum ope Tabularum, ita Statuarum æque ministerio, mente tantum præsentes esse præconcipimus; quare idololatriam redolere nequeant nostræ Statuæ, statim atque eam non redolent pictæ Græcorum Tabulæ, Catholicoque ritu ac sensu innoxiæ utilesque sint cultæ a nobis Statuæ, uti Græcorum utiles sunt ac innoxiæ Picturæ.

F I N I S.



INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM.

Deo-

ERRATA. CORRIGE.

P.	L.	ERRATA.	CORRIGE.
14.	17.	errore	errorem
25.	4.	*γλιπτὸν*	*γλιπτὸν ἢ γλυπτὸν*
28.	18.	Commentatius	Commentarius
52.	21.	*ἀγάματα*	*ἀγάλματα*
57.	31.	*habebatur*	*habetur*
65.	13.	Perfis	Perfis
89.	7.	equum	æquum
98.	18.	Mithologia	Mythologia
123.	16.	factas	factas reperire,
139.	15.	fides	fidem
187.	3.	præsfidio	præsidio
192.	14.	credulitate	crudelitate
207.	26.	Armorii	Amorii
227.	9.	*laceret*	*lateret*
231.	26.	*Atqui*	*At qui*
255.	26.	Aldobrondinis	Aldobrandinis
261.	2.	Mufæa	Mufea
282.	7.	Differentiam	Differentia
282.	27.	occellatæ	ocellatæ
285.	2.	Alexandria	Alexandra

NOS

NOS F. JOANNES THOMAS
DE BOXADORS

S. Theologiæ Professor, ac universi Ord. FF. Prædicatorum humilis Magister Generalis, ac Servus.

HArum serie, nostrique authoritate Officii, licentiam concedimus, quantum in Nobis est, R. A. P. M. F. Casto Innocenti Ansaldi Provinciæ nostræ utriusque Lombardiæ, in Regia Taurinensi Academia S. T. Professori, typis edendi Dissertationem a se elaboratam, ac jam editam, nunc vero recognitam & auctam: *De sacro & publico apud Ethnicos pictarum Tabularum cultu adversus recentiores Photianos Græcos*: dummodo a duobus Ordinis nostri Theologiæ Professoribus probetur, ac serventur cetera de jure servanda. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conventu nostro S. Mariæ supra Minervam die 24. Maii An. 1766.

F. Joannes Thomas
de Boxadors
Magister Ordinis

Reg. pag. 183.

F. Dominicus Vincentius Maria Bertucci,
Mag. Provincialis Daciæ, & Socius.

Reverendissimo P. F. Joanni Thomæ de Boxadors Magistro Generalis totius nostri Ordinis Prædicatorum, ut par erat, utque debebamus obtemperaturi, P. M. F. Casti Innocentis Ansaldi, in Regio Taurinensi Athenæo S. T. Professoris, *de sacro & publico apud Ethnicos pictarum Tabularum cultu adversus recentiores Photianos Græcos Dissertationem*, novis nunc curis recognitam, multisque partibus auctam diligentissime legimus; cumque in ea nihil deprehenderimus, quod non erudite, sapienter, apte ad Orthodoxæ Religionis decreta, rectamque morum institutionem, scriptum esse videretur, dignam quæ rursum typis excudatur, divulgeturque censuimus, nobisque sic persuasimus, eam ut decori Cl. Auctori suo, ita Lectoribus utilitati maximæ futuram.

Dabamus Romæ in Ædibus S. M. S. M. VIII. Kal. Jun. An. 1766.

F. Thomas M. Mamachius O. P. S. T. M. & Theologus Casanatensis.

F. Antonius Dominicus Orsi O. P. S. T. M. & Pro-Cathedraticus Casanatensis.


IMPRIMATUR.

F. Joannes Dominicus Pasquali Ord. Præd. S. T. M. Vicarius Generalis S. Officii Taurini.

V. Cavalli Coll. Theol. Præses.

V. Se ne permette la Stampa.

Galli per la Gran Cancelleria.



LATINA AUCTORIS OPERA.

Patriarchæ Josephi, Ægypti olim Proregis, Religio a criminationibus Basnagii vindicata. *Ne poli excudebat Felix Carolus Mosca* 1738. Iterum Tomo XXIII. Collectionis Calogerianæ pag. 135. *Venetiis apud Simonem Occhi*, 1741. Iterum *Brixiæ apud Johannem Baptistam Bossinum* 1747. *in* 8.

De Inopia veterum Monumentorum pro copia Martyrum dignoscenda adversus Dodwellum Dissertatio. *Mediolani apud Josephum Ricchinum Malatestam*, 1740. *in* 8.

De Martyribus fine sanguine altera adversus Dodwellum Dissertatio. *Mediolani apud Josephum Ricchinum Malatestam*, 1744. *in* 8. Hæc & superior Dissertatio simul editæ fuerunt *Venetiis*, *Typis Petri Valvasensis*, 1756. *in* 4.

De Traditione Principiorum Legis Naturalis Libri III. *Mediolani apud Josephum Ricchinum Malatestam*, 1742. *in* 4.

De Romana Tutelarium Deorum in Oppugnationibus Urbium Evocatione Liber singularis. *Brixiæ*, *Typis Joannis Mariæ Rizzardi*, 1743. *in* 8. Iterum *Venetiis apud Petrum Valvasensem*, 1753. Iterum

Vene-

Venetiis apud eumdem, 1761. *in* 8. Iterum *Oxonii e Typographeo Clarendoniano*, 1765. *in* 8.

De Forensi Judæorum Buccina Commentarius. *Brixiæ excudebat Joannes Maria Rizzardi* 1745. *in* 4. Iterum Tomo XXVII. Thesauri Antiquitatum Sacrarum Ugolini. *Venetiis*, 1763.

Herodiani Infanticidii Vindiciæ. Accedit Dissertatio de Loco Joannis aliter atque habet Vulgata a nonnullis Patribus lecto. *Brixiæ apud Joannem Mariam Rizzardum*, 1746. *in* 4.

De Authenticis Sacrarum Scripturarum apud Sanctos Patres Lectionibus ad Benedictum XIV. P. M. Libri II. *Veronæ apud Augustinum Carattoni*, 1747. *in* 4.

De futuro Seculo ab Hebræis ante Captivitatem cognito adversus Joannem Clericum Commentarius. *Mediolani in Regia Curia*, 1748. *in* 8.

De Diptycho Quiriniano Epistola ad Cardinalem Angelum M. Quirinum. Tomo XL. Collectionis Calogerianæ pag. 187. *Venetiis*, 1748.

De Diptycho Quiriniano Epistola secunda ad Cardinalem Angelum M. Quirinum. *Brixiæ apud Jacobum Turlinum*, 1749. *in* 4. Iterum Tomo XLII. Collectionis Calogerianæ, pag. 237.

De Tarsensi Hercule in viridi Jaspide insculpto ad Clariss. Virum Albertum Mazzolenum Abbatem Casinensem Epistola. *Brixiæ apud Jacobum Turlinum*, 1749. *in* 4.

Oratio habita in Athenæo Ferrariensi, dum publici Sacræ Theologiæ Professoris munus auspicaretur anno MDCCL. *Ferrariæ apud Josephum Barberium*, 1750. *in* 4.

Oratio

Oratio habita in Athenæo Ferrarienſi, anno MDCCLI. *Ferrariæ apud Joſephum Barbertum*, 1751. *in* 4.

De Baptiſmate in Spiritu Sancto & igni Commentarius Sacer Philologico-Criticus, cui accedunt Orationes duæ in Ferrarienſi Athenæo habitæ. *Mediolani in Regia Curia*, 1752. *in* 4.

Oratio in Athenæo Ferrarienſi habita anno MDCCLII. *Venetiis apud Simonem Occhi*, 1752. *in* 4.

Oratio Ferrarienſi in Athenæo habita in Dedicatione publicæ Bibliothecæ anno MDCCLIII. *Ferrariæ apud Joſephum Barberium*, 1753. *in* 4.

Vindiciæ Maupertuiſianæ, ab Animadverſionibus Viri Clariſſimi Franciſci Mariæ Zanotti, quibus quantum Philoſophiæ Morali Stoicorum præſtet Religio in infelicitate vitæ minuenda demonſtratur. *Venetiis apud Petrum Valvaſenſem*, 1754. *in* 4.

De Theurgia, deque Theurgicis Ethnicorum Myſteriis a D. Paullo memoratis, Commentarius. *Mediolani ex Typographia Societatis Palatinæ in Regia Curia*, 1762. *in* 8.

Multitudo maxima eorum, qui prioribus Eccleſiæ Seculis Chriſtianam Religionem profeſſi ſunt, adverſus Davidem Clarkſonum, alioſque, qui illos exiguo fuiſſe numero conſtituunt, oſtenſa & vindicata. *Auguſtæ Taurinorum, in Regio Typographeo*, 1765. *in* 8.



ITALICE

Vindiciæ Maupertuisianæ, *sub titulo*: Difesa del Signor di Maupertuis dalle Censure del Signor Dottore Francesco Maria Zanotti, tradotta dal Latino del P. Casto Innocente Ansaldi in linguaggio Italiano da Lorenzo Donghi Ferrarese. *In Venezia appresso Pietro Valvasense*, 1756. *in* 4. *Reperitur Tomo I. Operis*: Raccolta di Trattati di diversi Autori concernenti alla Religion Naturale, e alla Morale Filosofia de' Cristiani, e degli Stoici.

Lettera del P. Casto Innocente Ansaldi Domenicano, al Signor Dottore Francesco Maria Zanotti, in risposta ai tre Discorsi da quest' ultimo stampati contro la Difesa del Signor di Maupertuis. *Venezia appresso Pietro Valvasense*, 1755. *in* 8. *Iterum Tomo II. Operis*: Raccolta di Trattati di diversi Autori ec.

Della necessità, e verità della Religione Naturale, e Rivelata, Ragionamento del P. Casto Innocente Ansaldi Domenicano. *Venezia appresso Pietro Valvasense*, 1755. *in* 8.

